



CONRADI OLIGENII J. C.

DISSERTATIO

DE PRIMARIIS PRECIBUS IMPERIALIBUS

Ubi argumentis ex Jure Canonico deductis, Concordatis inclytæ nationis Germanicæ, Pontificiis Diplomatibus, & perpetua consuetudine ostenditur illas dirigi à Cæsarea Majestate non posse sine speciali indulto Summi Pontificis.



FRIBURGI BRISGOIÆ
Per JOHANNEM STRASSERUM.
M. DCC. VII.
Auctoritate, & Privilegio.

TYPOGRAPHUS
CANDIDO LECTORI.

CUm hoc tempore apud nostrates, & per universam Germaniam magnus rumor percrebuerit de Precibus primariis, ut vocant, quas Augustissimus Josephus I. Romanorum Imperator suæ ditionis Capitulis direxit, inconsulta hac de re Sede Apostolica, præter morem vetustissimum prædecessorum, qui id nunquam sine indulto Summi Pontificis præstare consueverunt: cumque singuli pro arbitratu suo, & animi affectu de re ipsa varie, atque varie passim loquantur, alius jure, & ex majorum consuetudine, alius perperam, & contra Ecclesiasticos Canones, Pontificum, & Imperatorum pactiones id factum contendens; pervenit tandem ad manus meas Dissertatio, cujus auctor accuratissimus rem universam à prima origine historice, & juridice perpendens, veterum Imperatorum morem in Precibus dirigendis ob oculos ponit, Summorum Pontificum Diplomata iisdem concessa recitat, Jurisconsultorum sententias utriusque partis examinat; quidque homini sincero, & nulli ex partibus addicto,

ſentiendum ſit fuſe, & ingenue demonſtrat, itaut ex doctorum virorum opinione eadem Diſſertatio omne penitus argumentum, & quæſtionem exhauriat. Quare publico bono, & veritati me conſulturum exiſtimavi, ſi eamdem Diſſertationem typis meis editam tecum, candide Lector, communicarem: quam tu proinde æqui, bonique facias; atque interim,

ſi quid noris rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

INDEX
CAPITUM.

PRIMARIÆ PRECES IMPERIALES SINE SPECIALI INDULTO APOSTOLICO NULLÆ.

DISSERTATIO.

SANCTISSIMI Ecclesiæ Episcopi, atque etiam simplices Clerici, quibus cordi fuit rem Ecclesiasticam, & Sacerdotalem libertatem sartam tectam servare, factis aut scriptis sæculares Potestates, jura electionum canonicarum occupantes, vel in designandis Sacerdotibus & Clericis, sacrorum officiis inservituros se immiscentes, avertere consueverunt, ut ita & Catholici Principes re melius perpensa resipiscerent, & Præsules, universique Ecclesiastici ordines edocti, Jura, quæ Christi sunt, lædi, & Ecclesiæ libertatem divelli pro virili sua impedire niterentur: neque solum Imperialibus edictis & jussis, verum & ceteris Principibus malo exemplo ad similia & majora perpetranda excitatis sacerdotale pectus opponerent, ac libertatem suam & suarum Ecclesiarum pro viribus suis vindicarent.

I. Ecclesiasticorum est sua jura tueri.

Hinc ego qualiscumque à pluribus an-

II. Scriptionis occasio.

nis Clericali militiæ adſcriptus cum non ita dudum ex Novellis, ut vocant, apud Batavos typis impreſſis, intellexerim, Auguſtiſſimum Imperatorem, nuper tanta pietatis expectatione, à glorioſiſſimis Majoribus ſuis in hereditatem acceptæ, & heroica educatione contractæ, inauguratum, in id adduci potuiſſe, ut Epiſcopis, Capitulis, & Ordinariis Collatoribus quibuſcumque per totam Germaniam conſtitutis ſcripto præciperet Dignitates Eccleſiaſticas, Canonicatus, & Beneficia conferenda certis Perſonis ab eo nominatis, (quæ Diplomata Imperialia, Germani vocant *Primarias Preces*, ſi tamen *Preces* dicendæ ſunt, quæ violentis præceptis, minis, & pœnis miſcentur), à Sanctiſſimo Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ Antiſtite CLEMENTE XI. Ovium & Eccleſiarum ei creditarum canonicam & veterem libertatem minus recte violatam deprecari, mihi in animo conſtitui, non licere arbitratus Auguſtiſſimo Imperatori & Sedis Apoſtolicæ Advocato ſine Indulto Pontificio eas Preces ſibi attribuere: & ratus ſpectare ad Inclyta Germaniæ Capitula ſuam & Eccleſiæ Romanæ libertatem vindicare. Quapropter non levem Ordini Eccleſiaſtico, cui nomen dedi, utilitatem me

allaturum putavi, si Clericis omnibus, & præcipue religiosissimis Germanis explicarem, quid hæ *Preces Imperiales* contineant; qua de re fuerint inventæ; qua ætate & occasione; quinam earum usus à multo tempore, & cui rationi, & potestati eæ nitantur; ut ita intelligant omnes, has Preces sine potestate Pontificia nullius omnino roboris, & momenti esse; immo eos, qui illis obsequuntur graviter falli, præsertim Summo Pontifice reclamante, easque adversari sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, Concordatis, & Ecclesiasticæ libertati, utpotè quæ subsunt Decreto septimæ Synodi generalis, quod inferius exponam.

III. Primariæ Preces Augustissimi Imperatoris sine indulto Apostolico.

Ut certa pateat injuria, quæ fit Ecclesiasticis titulis, tenorem Primariarum Precum nuper Ordinariis Collatoribus directarum jam referam. Pervenerunt ad me exempla Primarum Precum directarum per Augustissimum Imperatorem inclyto Capitulo Hildesheimensi, quæ in hunc modum conceptæ fuerunt: *Josephus Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus &c. Honorabilibus Devotis nostris, & sacri Imperii fidelibus dilectis N. Decano seniori, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Hildeshei-*

mensis gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum. Etsi Nos ad Romani Imperii fastigium evectos, titulisque Augusti & Regio diademate decoratos summa semper ope niti decet, omnia sacri Romani Imperii intemerata jura, & consuetudines laudabiles conservare; par est tamen, ut hoc diligentiori studio præstemus, si quando integritate vitæ, & morum probitate, aliisque virtutibus insignitos meritis beneficiis, & dignis honoribus afficiendos arbitramur; siquidem Imperatorum, Regumque sublimitas, & magnitudo, nullo expressiùs officio Dei Optimi Maximi similitudinem referre potest, quam si pluribus benefecerit. Quare cum Nobis ad Prædecessorum nostrorum imitationem ex inveterata consuetudine jus competat Preces primarias ad omnes, & singulos Beneficiorum Ecclesiasticorum Collatores, & Collatrices, Capitula, Conventus, & Collegia, ac Personas alias de illis quocumque modo disponendi jus habentes per universum Romanum Imperium constitutas porrigendi, dandi, concedendi, & decernendi pro Personis idoneis, & Nobis gratis ad consequenda Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura tam Sæcularia, quam Regularia, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, Personatus, Administratio-

nes, vel Officia fuerint in Collegiata, Cathedrali, vel Metropolitana Ecclesia; etiamsi ad ea consueverint qui per electionem assumi ad Collatorum, Collatricum, Capitulorum, Collegiorum, sive Conventuum, ac personarum prædictarum collationem, provisionem, electionem, nominationem, præsentationem, seu quamlibet aliam ordinationem, conjunctim, vel divisim spectantia (Canonicatu nihilominus, & Præbenda cum Dignitate, Personatu, Administratione, vel Officio, etiam ex persona plurium successivè vacantibus pro uno computatis Beneficio) & hujusmodi etiam Prædecessorum nostrorum Primariis Precibus reverenter hactenus paritum fuerit; Idcirco Romani Imperii Jura, & Consuetudines (ut tenemur) prosequi, & Prædecessorum vestigiis inhærere volentes, primarias Preces nostras pro Devoto Nobis Dilecto Ferdinando Raesfeldt Canonico Ecclesiæ Mindensis ad Vos porreximus, dedimus, concessimus, & decrevimus, ac per præsentes porrigimus, damus, concedimus, & decernimus, Vos adhortantes, & pro conservatione Jurium, & Consuetudinum Romani Imperii expresse requirentes, ut Beneficium Ecclesiasticum tam Regulare, quam Sæculare cum cura, vel sine cura, etiamsi Canonicatus,

& Præbenda, Dignitas, Personatus, Administratio, vel Officium fuerit; etiamsi ad illud convenerint, qui per electionem assumi in Metropolitana, Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, quod ad præsens sive proxime quomodolibet simul, vel successive in quocumque mense per obitum, decessum, vel resignationem alicujus vacare contigerit, ad collationem, provisionem, electionem, nominationem, præsentationem, ordinationem, sive quamlibet aliam dispositionem vestram pertinens, Canonicatu, ut præfertur, & Præbenda, cum Dignitate, Personatu, Administratione, vel Officio, etiamsi ex Persona plurium successive vacaverint pro uno computatis Beneficio: quod præfatus Ferdinandus Raesfeldt per se, vel Procuratorem suum infra mensem à die notæ sibi vacationis duxerit acceptandum, eundem Ferdinandum Raesfeldt, prout ad vos spectat ad illud eligatis, nominetis, præsentetis, & ei illud conferatis, & assignetis, atque etiam de eo provideatis, ponendo eum in pacifica, & quieta possessione: stallum in choro, & locum in Capitulo ei assignando cum plenitudine Juris Canonici, & fructuum perceptione, qualibet contradictione cessante. Quovero hæ Preces nostræ Primariæ certiorem consequantur effectum nominamus,

& deputamus tenore præsentium Reverendissimum Lotharium Franciscum Archiepiscopum Moguntinum per Germaniam Archi-Cancellarium Episcopum Bambergensem Principem Electorem & Nepotem nostrum charissimum; necnon Venerabilem Franciscum Arnoldum electum in Episcopum Paderbornensem devotum itidem Nobis dilectum, & quemlibet eorum insolidum, qui præsentibus nostris literis requisitus fuerit, harum primarum Precum Executores, eisdem simul, & seorsim per præsentes expresse committentes, & mandantes, ut si forte in contemptum, & præjudicium Jurium, & Consuetudinum Romani Imperii ad parendum hujusmodi primariis Precibus nostris contumaces fueritis, tanquam Executores à Nobis deputati, sub pœna gravis indignationis nostræ vos realiter, & cum effectu ad parendum juxta Constitutiones Imperii moneat, & compellat. Contumacia verò vestra, aut contemptu (quod absit) per mensem continuum à die requisitionis numerandum, durante, vos omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, libertatibus, & donationibus à Romanorum Imperatoribus, & Regibus, ac à Nobis, & aliis Prædecessoribus nostris Vobis concessis eo ipso privatos, & nostra tuitione exutos declaret, quæ, & quas ex nunc

prout à die contumaciæ vestræ tenore præsentium revocamus, & cassamus, & irrita esse volumus, & vos aliter contumaces à Beneficiis Majestatis nostræ reddimus alienos, prout etiam ex nunc, prout ex tunc privamus, & à protectione nostra excludimus harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Data in Civitate nostra Viennæ die 19. *Junii Anno Domini* 1705. *Regnorum nostrorum Romani* 16., *Hungarici* 18., *Bohemici verò primo.* Josephus, &c.

IV. Multa inde educuntur. Ex hoc Cæsareo diplomate multa educuntur: Primo intentio, quæ est providendi de Ecclesiasticis Beneficiis personis Imperatori gratis: Secundo ratio, cui Preces nituntur, scilicet consuetudo inveterata descendens ab exemplo Prædecessorum: Tertio præcepta facta Ordinariis Collatoribus, & Electoribus eligendi Personam in Precibus designatam, eique conferendi Beneficium, & nedum Beneficium vacans, sed & primo vacaturum; & quod plus est, inter vacatura illud, quod Precista elegerit; & non solum Beneficium collativum, verum & electivum, scilicet quod consuevit conferri per electionem canonicam; Beneficia quoque vacatura in quocumque mense, ibi: *Quomodolibet simul, vel successivè in quocum-*

que mense per obitum, decessum, vel resignationem alicujus vacare contigerit, ad collationem, provisionem, electionem, nominationem, præsentationem, ordinationem, seu quamlibet aliam dispositionem vestram pertinens: quæ verba involvunt contradictoria, quippe si vigore Concordatorum Germaniæ, quæ ea Inclyta Natio iniit cum Summo Pontifice Nicolao V. Capitulis, & Ordinariis Collatoribus assignati sunt ex indulgentia S. Sedis Apostolicæ menses infrascripti; scilicet *Februarius*, *Aprilis*, *Junius*, *Augustus*, *October*, atque *December*, in quibus tantummodò permissum est iisdem eligere, vel conferre Canonicatus, & Beneficia vacantia; reliquos verò menses sibi Sedes Apostolica reservavit, cum inhibitione facta Capitulis, ne possent eligere, vel conferre: immò si in iisdem Concordatis Summus Pontifex sibi soli reservavit omnia Beneficia, quorum elenchus legitur in Extravag. *Ad Regimen de Præbend.*, quemadmodum colligitur ex præfatis Concordatis; non est sane cur in Precibus dicantur omnia Beneficia, & in quocumque mense vacantia ad electionem, & collationem Capitulorum, & Ordinariorum pertinentia, Precibus iisdem esse obnoxia: enim vero si plura non

pertinent ad collationem, & electionem Capitulorum; sed reservata sunt in Concordatis Sedi Apostolicæ, inhibitumque est Capitulis ea conferre; quo pacto fieri potest, ut Preces ita efficaces sint, ut Capitula privare possint Pontificem jure in Concordatis eidem adscripto, valeantque Imperatores tribuere Capitulis jus eligendi, & conferendi iis mensibus, & ea Beneficia, quorum collationem, & electionem ipsa neutiquam habent? Id sanè imperceptibile est, nisi dicamus hanc potestatem ex Precibus Imperialibus, & sic à Laica manu provenire: quod nefas est Catholicum virum asserere.

V.

Pœnæ & multæ per Preces Imperiales Ordinariis & Capitulis inflictæ.

Intelligitur itidem ex formula Imperialium Precum, quam recitavimus, statutos esse pro executione earundem duos Celsissimos Ecclesiasticos Præsules, ut ii pœnis, & multis in formula jam dicta comminatis cogere possint Imperiali potestate Capitula, & Ordinarios, qui ab Ecclesiastico zelo ducti in hoc parere mandatis & præceptis laicalibus renuissent. Non est profecto cur mirari subeat, in re tanti momenti Successorem in Cathedra Divi Petri, optimum & meritissimum Romanæ Ecclesiæ Pastorem, beatissimorum Præsulum, qui septimæ Sy-

nodo adfuerunt imitatorem, CLEMENTEM XI. Papam, pensatis injuriis ex his Precibus Ecclesiæ Dei resultantibus, fortiter (ut audivimus) adversus eas pugnare; tanta nanque sunt absurda, tot præjudicia, & offensæ, quæ cœtui Ecclesiastico ex prædictis irrogantur, ut planum sit, integerrimum Pontificem justo zelo correptum haud potuisse sine animæ propriæ periculo hæc dissimulare.

VI.
Conciliorum Decreta circa libertatem electionum.

Quanti hæc res habenda sit, facile intelligitur ex sacrorum Canonum Statutis, & Conciliorum Decretis. Patet enim eruditis anno Christi septingentesimo octogesimo trecentos & quinquaginta Episcopos Nicææ congregatos, (inter quos Plato sanctissimus, Theophanes doctissimus, S. Euthymius Sardicensis Episcopus, aliique clarissimi Confessores & Antistites) ita statuisse: *Omnis Electio à Principibus facta Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi, irrita maneat secundum regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus Sæcularibus Potestatibus usus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur; & segregentur omnes, qui illi communicant:* cum enim in Synodo IV. Oecumenica de Episcopis, qui utebantur Principum jussis, id constitutum fuisset, voluerunt Patres septimæ Synodi pariter Oecumenicæ id ipsum intelligi de

Presbyteris, aut Diaconibus, ut ita omnes electiones canonicæ immunes in posterum essent à jussu, mandato, vel Prece Sæcularium Potestatum. Edixerunt etiam Synodi Patres sic electos deponendos; & segregandos à communione Fidelium eos, qui illis communicarent: Hunc Canonem refert Cæsar Baronius Annal. tom. 9. ad annum Christi 587. n. 48., quem pientissimus Cardinalis planè dignum putat, qui Regum omnium Aulæ foribus inscribatur. Eum quoque libro Decretorum inseruit Gratianus, Canon. *Omnis Electio* distinct. 63.

VII. Patrum & Pontificum statuta.

Id ipsum statuerant Præsules, qui interfuerunt Concilio Martini Papæ in hunc modum: *His omnibus auctoritatibus laici excluduntur ab electione Sacerdotum.* S. Gregorius Nazianzenus Imperatoribus Constantinopolitanis scribens quoque ait: *Suscipitis ne libertatem verbi? libenter accipitis quod lex Christi Sacerdotali vos subjicit potestati? Dedit enim & nobis potestatem, dedit & Principatum multo perfectiorem Principatibus vestris. Aut nunquid justum vobis videtur, si à terrenis cælestia superentur, & si Divinis præferantur humana*, ut in Can. *Suscipitis*, dist. 10. Hinc Nicolaus Papa IV. anno MCCLXXXIX. censuris quoque perculisse narra-

tur Portugalliæ Regem, quod is Epiſcopis Preces dirigeret minis mixtas, ut eos impelleret ad conferendum Beneficia Eccleſiaſtica perſonis ſibi benevolis: unde Rex ſolemni pactione ſpopondiſſe dicitur, *ſe in ſuis Precibus non adjecturum quod nullus alius eligatur, niſi is pro quo direxerit Preces ſuas*, teſte Odorico Raynaldo in Annal. Eccleſ. anno 1289. n. 30., & Hugo Epiſcopus Linconienſis Precibus Regis Angliæ ſic reſpondiſſe fertur: *Non Aulicis, ſed potiùs Eccleſiaſticis Perſonis Eccleſiaſtica ſunt conferenda Beneficia. Habet Dominus Rex unde tribuat mercedem ſervientibus ſibi, nec debet ſummo Regi famulantes privare proventibus ſuis, ut inde ſervis ſuis provideri poſcat à nobis*, teſtimonio Card. Baronii ad annum Chriſti 1186. n. 18.

VIII. Preces minis mixtæ injuriæ Eccleſiaſticæ libertati.

Hæc ſtatuta & facta ſunt à Conciliis Oecumenicis, & à Sanctiſſimis Eccleſiæ Præſulibus; unde ſi Eccleſia univerſa, & Apoſtolica Sedes has Preces Imperatorum, & Principum tanquam injurioſas Eccleſiaſticæ libertati damnavit, & ſic promotos ad Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica deponendos eſſe, & ſegregandos qui eis communicarent, edixit; nullum eſt dubium, Ordinarios, & Capitula Inclytæ Nationis Germanicæ ſine

timore pœnarum jam dictarum, & maximo conſcientiæ diſcrimine, minime poſſe Imperiales Preces pœnis, & præceptis mixtas, aut juſſum Imperatoris ſine Indulto Apoſtolico exequi, dicente Calixto Papa omnibus Epiſcopis ſic: *Nulli dubium eſt, quod Apoſtolica Eccleſia mater ſit omnium Eccleſiarum, à cujus regulis nullatenus vos convenit deviare*, & S. Gregorio Papa: *Præceptis Apoſtolicis non reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ à S. Romana Eccleſia, & Apoſtolica auctoritate juſſa ſunt ſalutifere impleantur, ſi ejuſdem Sanctæ Dei Eccleſiæ (quæ eſt caput veſtrum) communionem habere deſideratis*, & infra: *Si quis Apoſtolicæ Sedis præcepta non obſervaverit, percepti honoris eſſe hoſtis non dubitetur*, ut legitur in Canone *Non decet*, & in Canone *Præceptis Apoſtolicis* diſtinct. 12.

IX. Preces Imperiales continent Expectativas, vel ſaltem mandata de providendo vacatura.

His additur, prædictas Imperiales Preces continere, ſi non expectativas, procul dubio mandata de providendo vacatura: hæc enim ſunt earum verba: *Beneficium, &c. quod ad præſens, ſive proximè quomodolibet ſimul, vel ſucceſſivè in quocunque menſe per obitum, deceſſum, vel reſignationem alicujus vacare contigerit*; quamvis enim quæſtio ſit inter Canoniſtas, an hæ Preces expectativas con-

tineant, & sint qui autument, hujusmodi Preces tanquam generales, & incertas sine designatione Personæ, per cujus obitum Beneficium vacaturum est, non involvere expectativas; alii vero dicant oppositum, cùm revera inducere possint votum captandæ mortis personæ certæ, id est pinguiorem habentis Præbendam, dum relinquitur optio Precistæ eligendi ex primo vacaturis Præbendam sibi magis utilem, & placitam: attamen hac omissa quæstione, planum est hasce Preces continere mandata, & jussum de providendo vacatura: quod est luce meridiana clarius; nam sive Alexandri III. sive Innocentii III. Summorum Pontificum ætate irrepserit usus apud Romanam Curiam Expectativas, mandata de providendo vacatura, & reservationes mentales concedendi; palam est usque ad annum 1150. nequidem nomen harum gratiarum in Cancellaria Apostolica fuisse auditum, ut scribunt Jo: Andreas in cap. *de duobus* de rescrip. in 6., Azor. Instit. moral. lib. 6. par. 2. cap. 32. §. *Porrò* tom. 2. pag. mihi 480., Lother. de Benefic. lib. 1. in apparat. num. 14.

X. Expectativæ & mandata

Veruntamen hasce gratias, in quibus dabatur jus, vel certa spes ad Beneficia

de providendo vacatura reservabantur Summis Pontificibus.

vacatura, tanquam irregulares & contra sacros Canones Romani Pontifices tantummodo sibi reservarunt, cæterisque omnibus inhibuerunt mandata de providendo vacatura, vel promissiones, in quibus expresse, vel tacite involveretur provisio Beneficii primo vacaturi, uti cautum legitur in Concilio Lateranensi, celebrato sub Alexandro III. c. 8., cujus Canon. refertur in cap. *Nulla Ecclesiastica* il 2. de Concess. Præbend., & rescripsit Innocentius III. in cap. *proposuit* eodem tit., ubi in specie agebatur de mandato de providendo Beneficium primo vacaturum, & sic incertum, & personæ incertæ: idque notant Canonistæ communiter in d. cap. *Nulla*, & præ cæteris Joann. Andreas n. 13., Henricus Boich. col. 2. in fin. vers. *aut nunquid possint*, Fagnan. à n. 4. ad 9., ubi nil differre asserit mandatum de providendo in genere, sive in specie, sive certum, sive incertum, dummodo contineat vacatura.

XI.

Germani expectativis, & mandatis de providendo vacatura adversi.

Contra has irregulares Gratias obstrepuere Germani in Concilio Constantiensi; quippe Sigismundus Imperator & communes Germaniæ, & Romani Imperii ordines ablegatos miserunt cum speciali mandato ab iis Patribus impetrandi

di conciliare decretum, quo Expectativæ, & mandata de providendo vacatura, quin hujusmodi gratiarum nomina delerentur, uti videre est apud Melchiorem Goldastum to. 1. Constit. Imperial. pag. 392. cap. 3. & cap. 6. At quoniam Constantiense Concilium super iis nequicquam providerat, vix Basileensi Synodo indicta, Albertus II. Imperator, Electores itidem omnes in comitiis Moguntiæ celebratis, teste eodem Goldasto tomo eodem pag. 401. 403. cap. 4. 11. 12. & 34. hasce Preces ab Imperii Legatis porrigendas Concilii Patribus statuerunt, & jurejurando pacta in conventu stabilita servare promiserunt. Hæc enim leguntur in capite 4. *Ecclesia Pastore destituta, ii penes quos est eligendi potestas, die & loco definito conveniunto: Principibus fas non esto pro quopiam commendando molestis Precibus, aut violenta comminatione premere, aut cogere Electores*, & cap. 11. *Expectativis præterea gratiis, unde plurima oriri mala constat, locum esse non sinito*, & cap. 12. *Beneficia vivo eorum Rectore nemini reservato.*

XII. Fridericus III. urget libertatem electionum.

Defuncto Alberto Fridericus III. ad imperium assumptus, anno MCCCCXL. de consensu Electorum omnium Imperii, totiusque inclytæ nationis Germaniæ Le-

gatos suos ad idem Basileense Concilium missos jussit urgere pro libertate Electionum, & pro suppressione omnium gratiarum expectativarum, ac reservationum de Beneficiis vacaturis, rationibus etiam additis, ut palam fieret quot ex hujusmodi gratiis mala, & scandala orirentur, uti videre est apud eundem Goldastum tomo 1. pag. 404. cap. 5. 6. & 7., & to. 2. pag. 124. & 125. Patres Concilii Basileensis, quod postea in Conciliabulum degeneravit, translato jam Concilio ad Civitatem Ferrariæ ab Eugenio Papa IV. Expectativas, provisiones de vacaturis, & mandata de providendo vacatura in §. *Volens* damnarunt, irritasque etiam fecerunt similes gratias à Sede Apostolica concessas: quod ab iis factum in gratiam Imperatoris, & Germanorum patuit ex jam dictis.

XIII. Gratiæ, quæ vacatura comprehenderent à Germanis reprobatæ.

Itaque si Germania universa ita odio habuit hujuscemodi gratias, adeoque fortiter pugnavit pro libertate Electionum, Precesque Principum, atque violentas comminationes eorum, quibus tolleretur exoptata libertas, detestata est solemni pacto juramento firmato ab Imperatore, ab Electoribus, universisque Germaniæ sacris Ordinibus, & obtinuit à Concilio Basileensi has concessiones ir-

ritas fieri; quis unquam arbitrabitur licitum esse Augustissimis Imperatoribus mandata de providendo ad vacatura Beneficia sibi usurpare, immo & jussum super his dare, Electoresque compellere minis & pœnis, non dicam Precibus, ad conferendum Beneficium primo vacaturum, & quod Precista elegerit? Hoc quidem pacto fieret, ut Germani id, quod Præsulibus omnibus, & Summis Romanæ Ecclesiæ Antistitibus permissum haud esse proclamarunt, licuisse, & licere putarent laicis Imperatoribus, & Principibus, quorum commendationes, vel molestas Preces in electionibus damnaverunt: quod procul dubio paradoxorum habet imaginem.

XIV. In Concilio Tridentino extinctæ.

Cum vero decretis Conciliabuli Basileensis, postquam illud damnaverat Eugenius Papa IV., Romana Curia, & Orbis Catholicus non pareret, factum est, Ablegatos Cæsareos, & Caroli Francorum Regis ad Concilium Tridentinum missos, iterum atque iterum contra harum gratiarum usum exclamasse, sic instantes: *Mandata de providendo, Expectativæ, fiduciariæ resignationes, Commendæ revocentur, & tanquam sacris decretis contrariæ ab Ecclesia omnino arceantur*: quod narrat idem Goldastus tom. III.

Constitut. Imperial. pag. 570., & 571. in principio num. 20., & 21. Hinc Patres Concilii, quibus cordi erat hos populorum clamores sedare, in sequelam Precum prædictarum ab Ablegatis Cæsareis, & Regis Galliæ porrectarum, ita sess. 24. cap. 19. statuerunt: *Decernit sancta Synodus mandata de providendo, & gratias, quæ Expectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus Personis, etiam sub nomine Indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuique uti licere: sed nec reservationes mentales, nec aliæ quæcumque Gratiæ ad vacatura alicui etiam ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus concedantur, hactenus concessæ abrogatæ esse censeantur.* Hæc Tridentini Patres, qui damnarunt Expectativas, mandata etiam de providendo vacatura, & sic prima Beneficia quæ vacassent, reservationes mentales, quibus Pontifices solebant reservare Beneficia in genere vacatura, & sic primo vel secundo vacatura, ut Personis gratis providerent, nulla expressa certa Persona, ut refert Gonzal. ad reg. 8. Cancellariæ §. 1. proem. n. 76. & sequentibus; & de his non contenti damnarunt omnes, & quascumque alias

gratias, in quibus quomodolibet de vacaturis disponeretur, ut prosequitur Gonzalez loc. jam adducto n. 80.

Quare si instantibus Germanis, Gallisque, omnes gratiæ, & concessiones Beneficiorum vacaturorum in genere, vel in specie, facta vel non facta designatione certæ Personæ, per cujus obitum Beneficium vacare contigisset, à Tridentina Synodo irritæ factæ sunt, inhibitumque Indulta concedere, & concessa abrogata, itaut quanquam Romani Præsules, quorum potestas conciliarem excedit, si vellent hasce gratias concedere, possent; nihilominus ii post Concilium rarissime super his indulgere consueverint in obsequium tantorum Patrum, testimonio Gonzalez loco jam relato num. 70. & sequent., Lother. lib. 2. de Benefic. quæst. 25. num. 4. & 5., nemo sane affirmabit permissum idem esse laicis Principibus, quod tam solemniter in Oecumenica Synodo sibi inhibuerunt Summi Romanæ Ecclesiæ Præsules, nedum Germanis Imperatoribus, quorum vox hæc semper fuit, ut talia ab Ecclesia arcerentur, utpote sacris Canonibus adversa: nisi dicendum sit, Synodicas constitutiones, quæ juxta Germanorum omnium opinionem hujuscemodi concessiones

XV. Indulta super vacaturis sublata.

damnabant, hæc, quæ omnibus Ecclesiæ universalis Ordinariis, Pontificibus etiam Romanis negabantur, laicis Principibus indulsisse : quod nemo cordatus vir pro vero arbitrabitur.

XVI. *Preces Imperiales libertati Ecclesiasticæ opponuntur.*

Crescit injuria libertatis Ecclesiæ, si recte intelligatur pondus Exequutorum, quos Augustissimus Imperator constituit ad Preces suas exequendas; sunt quippe ii duo Celsissimi Germaniæ Præsules, & Deputati ad compescendum pœnis, & multis laicalibus Ordinarios, & Capitula inclytæ nationis Germaniæ, quæ Precibus Imperialibus, imò dicam præceptis, & jussis parere distulerint : hæc in Ecclesia Dei soli Romani Pontifices facere consueverunt, neque ulli laico Principi sine concessione Apostolica permissa unquam fuerunt; vetustus nanque stylus is fuit, ut cum Summi Pontifices mandata de providendo vacatura dedissent, primum Ordinariis Collatoribus scriberent literas monitorias rogantes Episcopos, dein præceptorias, & demum si cunctabantur Ordinarii, & monita ægrè ferebant, executorias : quo stylo sublato mos fuit, Romanos Præsules solas exequutorias literas expedire, quibus ii certos destinabant Exequutores, qui vel ipsos Ordinarios ad dandum Beneficium

adigerent, vel ipsi conferrent, erantque ii Executores ad compellendum, & ad providendum, uti statuitur in cap. *Abbatem* de rescript., & in cap. *Proposuit* de concess. Præbend., & notat. glos. magistralis in cap. *Si Capitulo* de concess. Præbend. in 6., Panormitanus in cap. *Ex insinuatione* de rescript., Azor. Instit. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 32. litt. B. & C. pag. mihi 480.

Quamobrem vix percipi potest, quo pacto sine Indulto Pontificio adduci potuerit religiosissimus Imperator, ut Ecclesiasticos Exequutores constitueret ad compellendum Ordinarios Collatores & Electores Germaniæ pœnis laicalibus, quatenus ii Preces ejus minis mixtas exequi distulissent, ut ita ipsi Catholici Antistites Exequutores dati, libertatem Electionum, & Collationum Canonicarum everterent, & multarentur ii, qui statim renuerent parere mandatis laici Principis nullo privilegio Papali munitis, libertatemque Ecclesiarum suarum vindicarent: quo sanè pacto apud Deum, & Catholicos omnes præmio & laude digni sunt; & pœnas Canonicas timere deberent, si terrore laicalium pœnarum contra Decretum sacrosanctæ universalis septimæ Synodi ad Ecclesiasticas Dignitates, & Beneficia pro-

XVII. Precum Imperialium Exequutores sine Indulto Pontificio.

moverent personas à laicis Potestatibus electas, uti superius dictum est.

XVIII. Scriptores heterodoxi inania opponunt.

Adversus prædicta plures nugas opponunt Acatholici scriptores, quorum tamen præcipuum argumentum educitur ab inveterata consuetudine Imperatorum, cui singulariter diplomata Precum, quas Augustissimus Imperator nuper direxit, hærent. Hunc usum aiunt antiquissimum, referuntque ad ætatem gloriosissimi Rudolphi I. Imperatoris, quem comperimus vixisse anno 1273. Fatentur & ipsi Germani scriptores, ante id tempus nullum reperiri diploma harum primariarum Precum, sed in illo Rudolphi expressam esse antiquam consuetudinem Prædecessorum Preces dirigendi: en formula Precum Rudolphi apud Goldastum Constitut. Imperialium tom. 3. pag. 406.: *Rudolphus, &c. Cum ex antiqua, & approbata à Divis Imperatoribus & Regibus ad nos producta consuetudine, qualibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione Beneficii Precum nostrarum primarias admittere teneatur; devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico de Ecclesiastico Beneficio, quod ad tuam collationem attinet, ob reverentiam sacri Imperii studeas liberaliter*

providere. Datum anno Regni nostri primo.

Prætermittimus, quod quamquam Rudolphus I. consuetudini hæreat, non desint, qui testentur, eum Imperatorem à Gregorio X. Romano Pontifice Indultum Apostolicum super iis impetrasse: hujus namque rei meminit Speculator, qui vixit ætate Rudolphi, & in titulo de Præbend. in 6. hæc habet: *Item nota, quod Imperator habet privilegium, quod ego vidi bullatum, quod in qualibet Ecclesia Alemanniæ possit facere unum recipi.* Hoc privilegium Sedis Apostolicæ primariarum Precum fuisse notat Joannes Andreas Speculatoris scholiastes loco jam relato litt. C. & in cap. *Is cui* 19. num. 1. de Præbend. in 6., & pluribus relatis Hermannus Hermes in fasciculo Juris publici cap. 11. de regal. Imper. num. 8. XIX. Rudolphus I. Indultum Apostolicum impetravit.

Prætereo itidem hanc consuetudinem in Precibus Rudolphi assertam provenisse potiùs ex abusu prædecessorum Imperatorum, qui canonicas electiones Prælatorum everterant, seseque arbitros fecerant investiturarum Ecclesiasticarum, & titulorum Episcopalium, atque Abbatialium: quem abusum abjuravit Hermannus Rex Romanorum, & Henricus V. teste Goldasto tom. 1. pag. 242. & pag. XX. Consuetudo Rudolphi ex abusu.

258. Fridericus itidem II., prævia constitutione in ipso conventu Electorum publicata his verbis : *Illum igitur volentes abolere abusum , quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur in electionibus Prælatorum , concedimus , & sancimus , ut electiones liberè , & canonicè fiant.* Et infra : *Omnia nos spiritualia vobis , & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda , ut quæ sunt Cæsaris Cæsari , & quæ sunt Dei Deo recta distributione reddantur* , quemadmodum referunt Raynaldus ad annum Christi 1213. Goldast. tom. 1. pag. 289. & pag. 290. Quamobrem ea, quæ tentata & facta sunt ab Imperatoribus ante Rudolphum, quæque provisionem Beneficiorum Ecclesiasticorum respiciebant, jure summo referri possunt ad tempora insignis abusus, quibus Germaniæ universæ Ecclesiæ in magno constitutæ erant discrimine, uti ipsimet Scriptores Germani infra referendi asserunt.

XXI. Qualis consuetudo Rudolphi.

Verum hac etiam consuetudine admissa, sicuti ea probatur ex diplomate relato Rudolphi, ex eo itidem quæ, & qualis esset hujuscemodi consuetudo intelligitur, ea namque non potuit esse dissimilis Precibus ipsis Rudolphi, ex quibus desumitur. Cum itaque in illis neque præcipia-

tur Ordinariis Collatoribus quicquam, neque pœna contrafacientibus imponatur, & futuræ vacationes nequaquam comprehensæ sint, & rogentur Ordinarii Collatores Ecclesiarum, quæ in territorio Imperiali sitæ erant, pro uno Beneficio ad suam collationem pertinente; jam patet quam difformis sit consuetudo asserta in dicto diplomate à Precibus nuper porrectis per Augustissimum Imperatorem, in quibus non rogantur, sed compelluntur Ordinarii sub insigni pœna; deputantur Exequutores ad compellendum; datur mandatum de providendo Beneficia vacatura; comprehenduntur dignitates, & Beneficia electiva, & regularia, & quidem vacantia in quocumque mense, & sic in mensibus Summo Pontifici reservatis in Concordatis Germaniæ, acsi ipsi Summi universalis Ecclesiæ Pontifices Imperialibus mandatis sub pœnis ibidem comminatis omninò parere deberent; & Episcopi exequutores in dictis Precibus designati, ipsos Pontifices Romanos, quibus i subsunt, compellere possent: quo nil magis absurdum excogitari potest.

XXII. Preces Caroli IV. expenduntur.

Sed fortasse aliquis dicet, Carolum IV. Imperatorem, inauguratum anno 1345. primarias Preces direxisse eadem asserta antiqua consuetudine cum mandato com-

plectente vacatura, & cum jussu, ut refert idem Goldast. tom. 1. pag. 343. Verum formula Precum, quam ibidem exhibet Goldastus, dissimilis prorsus est ab illa Rudolphi: hæc enim, omissis redundantibus, hæc est: *Cùm itaque nobis tam de jure, quam antiqua, & approbata consuetudine hactenus observata competat, quod ex coronationis nostræ solemniis in quolibet Monasterio in Imperio constituto unam tantùm personam virtute primariarum Precum nostrarum ad Beneficium Ecclesiasticum facere possimus promoveri. Hinc est, quod pro Petro Conradi vobis primarias dirigimus Preces nostras, devotionem vestram hortamur, & per regalia sceptra mandantes, quatenus præfato Petro de Beneficio Ecclesiastico, quod vacat ad præsens, vel quod primum vacaverit, ad vestram collationem spectans, auctoritate primarum Precum nostrarum providere debeatis, quavis contradictione cessante; jus nostrum, & dictam consuetudinem in præmissis nobis taliter servaturi, prout jura & liberalitates vobis, & dicto vestro Monasterio à prædecessoribus nostris datas nos delectat non minuere, sed augere.* Hæ Preces datæ sunt anno VIII. Imperii Caroli IV., quare non erant illæ, quæ statim ac Imperator inauguratus est expedi-

tæ fuerant. Itidem consuetudo in illis asserta coarctata reperitur ad Monasteria in Imperio consistentia tantummodo, quo fit, ex dictis Precibus probari non posse morem omnibus Ecclesiis Germaniæ, præterquam Monasteriis, Preces dirigendi; & quod magis urget, dictæ Preces non hærent nudæ consuetudini, uti illæ Rudolphi; sed earum scriptor videns fortasse consuetudinem Precibus non consentire, adhæsit dispositioni juris, ibi: *Nobis tam de jure, quam antiqua consuetudine.* Quemadmodum igitur liquido constat tam ex Precibus Rudolphi, quàm ex Conciliorum sanctionibus, & communi sententia Canonistarum, Principibus laicis æquè ac Imperiali dignitate fulgentibus, nullum jus competere conferendi beneficia Ecclesiastica, aut compellendi Episcopos, & Capitula ad ea conferenda personis à se nominatis, & multo minùs Episcopis Preces cum præcepto dirigendi; ita non leviter suspicandum est, quod Carolus Imperator de facto dictas Preces direxerit nulli nixus consuetudini, nisi illi, quæ de facto irrepserat, & educitur ex diplomate Rudolphi, quem diximus nudas Preces sine præcepto direxisse: & tamen Caroli IV. Preces restrictæ ad Monaste-

ria Regularium, non continent pœnas, aut beneficia Papæ reservata, & quamvis complectantur vacatura, in hoc difformes sunt à consuetudine asserta in diplomate Rudolphi.

XXIII. Preces Wenceslai Imperatoris.

Sic & primariæ Preces Wenceslai Imperatoris electi anno 1376., quas exhibet idem Goldastus dicto tom. I. pag. 375. adduci non merentur ad talem antiquam consuetudinem asserendam; cedit enim ibidem ipse jus primariarum Precum Ruperto Comiti Palatino Rheni & Bavariæ Duci cum enunciativa, quòd de jure, & consuetudine id jus Imperatoribus competeret in singulis Ecclesiis Germaniæ, & contra Ordinarios Collatores tantummodò, eosque qui Precibus non parerent pœnis ibidem comminatis afflixit, & executorem eundem Comitem Palatinum fecit: quare constat hunc Preces non direxisse: nescimus enim, an ejus cessionarius id fecerit, & Ordinarii paruerint. Patet etiam hunc hæsisse dispositioni juris, quia de consuetudine forsasse dubitabat, & ampliasse fimbrias suorum prædecessorum, Preces redigendo in præcepta, addendo etiam minas, & pœnas: quod nemo prædecessorum ejus fecerat.

XXIV. Abusus Prin-

En itaque cujusmodi fuit consuetudo,

per quam impossibile est, quod laicus Princeps jus firmum sibi acquisiverit cogendi omnes Episcopos, & Capitula inclytæ nationis Germaniæ sub pœna ad parendum Precibus, & conferendum, pessundata libertate canonica electionum, & collationum, personis sibi benemeritis. Nemo sane non videt non consuetudinem, sed abusum fuisse illis temporibus invectum, quando sæpenumero Summi Pontifices, & Episcopi coacti sunt pœnis Ecclesiasticis occurrere laicorum Principum cupiditati affectantium non dicam in Beneficia Ecclesiastica, sed in ipsas electiones Episcoporum violentas manus injicere; ut infra ex antiquis monumentis ostendam. Et quidem rem de facto gestam probant diversitas Precum Rudolphi ab illis Caroli IV. & Wenceslai; assertio in ultimis facta, quod Preces illæ à dispositione juris communis procedebant; ac intervallum centum & ultra annorum, qui numerantur ab Imperio Rudolphi ad illud Wenceslai, quo curriculo duo tantùm exempla primarum Precum apparent, & nescimus utrùm illæ fuerint effectum sortitæ; an Ordinarii, & Capitula paruerint; an non parentes multati fuerint: quanquam ego verisimile putem, Carolum IV. & Wenceslaum

cipum in canonicis electionibus.

ab Apostolica Sede indultum habuisse; & idcirco de jure id sibi licere asseruisse: quod posset facilè probari ex provisionibus factis ab Ordinariis, quarum nulla reperitur, & nulla à Goldasto, qui antiquiora diplomata diligenter refert, adducitur; cum tamen si Imperatores omnes successores Rudolphi, & Wenceslai Preces primarias expedivissent, & Episcopi paruissent, innumera prorsus essent exempla, & eorum magna copia haberetur.

XXV.
Principibus non suffragatur consuetudo sine privilegio Apostolico.

Porrò statutum est in jure sine privilegio Apostolico laicis Principibus non suffragari consuetudinem, aut præscriptionem etiam immemorabilem, ad effectum acquirendi jus eligendi, vel nominandi ad Beneficia Ecclesiastica; ex hac enim consuetudine induci ad summum potest simplex conniventia, seu patientia Papæ, quæ nusquam inducit dispensationem in his, quibus Oecumenica Concilia, & sacri Canones notabiliter adversantur, ut cavetur in cap. *Cum jamdudum*, ubi glos. verb. *Per patientiam*, de Præbend. Ut enim Summi Pontifices auferant hujusmodi abusus, coguntur semper, non sine periculo populorum, censuris uti, ideoque frequenter dissimulant, quanquam damnent facta Princi-

pum

pum sæcularium Ordini Ecclesiastico injuriosa : quamobrem communis Canonistarum est opinio ex hac conniventia, & patientia nullum prorsus quæri jus Principibus, & Regibus, neque ullam prætendi posse justam excusationem eorundem, neque sic electos, vel provisos de Præbendis, Ecclesiæ fructus suos facere, & gravis peccati notam incurrere, sive consuetudo sit centenaria, sive immemorabilis, ut notant Canonistæ in cap. 2. de Præbend. in 6., ubi præ cæteris Joannes Andr. ex num. 5. ad fin., Ancharan. sub num. 1. vers. *Quinto quærit*, Gemin. sub num. 12. vers. *Nec obstat si dicatur*, & ibi latissime Joannes Monach. num. 5., & fusius Prob. ex num. 5. ad 11. Præpos. in can. *Imperium*, vers. *Sed an præscriptione*, cum seq. distinct. 10., ubi graviter invehit tam in Principes nominantes, & eligentes, quam in collatarios. Card. Zabarella cons. 57. vers. *Et si dicatur*, & num. 3., Surd. cons. 301. num. 59., Silv. de benef. par. 2. quæst. 23. sub num. 16. vers. *Et isto casu non habet locum*, & plene Lother. de benefic. lib. 1. quæst. 6. num. 39. & sequentibus, ubi num. 47. & seq. probat primarias Preces Imperiales sine Papæ indulto, quo Prælati Ecclesiastici recipiant

Preciſtam mandato Papæ, nullius prorſus eſſe momenti, cùm Imperator non conferat, aut conferre valeat, neque Ordinarii recipere queant Preciſtas intuitu Precum Imperialium, & ſic poteſtatis ſæcularis imperio; ſed tantummodo vigore mandati Papæ id jus Imperatori concedentis.

XXVI. Origo abuſus in Precibus primariis.

Sed placeat pro hujuſcemodi conſuetudinis, ſeu potius notabilis abuſus dilucidatione, tempora, & circumſtantias ponderare. Preces Imperiales nituntur conſuetudini, & exemplo prædeceſſorum; videamus itaque quid prædeceſſores Imperatores fecerint, & in quibus circumſtantiis hæc conſuetudo invecta ſit. Jam diximus hunc abuſum irrepſiſſe ea ætate, qua Imperatores contra fas manus injecerant in Eccleſias, & Eccleſiaſticos titulos; in qua occupatione, ut ſeſe tuerentur, Eccleſiaſticos Germaniæ ſollicitaverant contra poteſtatem Romanorum Pontificum, & contra reſervationes, & Regulas Cancellariæ, quibus ii quaſdam Beneficiorum ſpecies ſibi reſervaverant, necnon contra expectativas, mandata de providendo, reſervationes mentales, & ſimilia, quorum uſus tunc in Curia Romana invaluerat. Ita putabant Cæſares diviſo Germano Clero, & alienatis animis Epiſ-

coporum, & Capitulorum à Sede Apostolica, se stabilire in injusta possessione occupandi electiones canonicas, & querelis populorum refrænare Pontificiam potestatem. Sic fecisse constat Hermannum, Henricum V. etiam postquam Calixto II. promiserat, se canonicas electiones in sua libertate relicturum, Fridericum I., Othonem IV., Fridericum II., & plures qui sequuti sunt, & Ecclesiasticas res plurimum perturbarunt, uti videre est apud Goldastum tom. 1. pag. 242. 258. 289. & 290., idque patet ex Annalibus Ecclesiasticis, Germanarumque rerum Scriptoribus.

XXVII. Conciliabuli Basileensis statuta irrita.

Hic status rerum fuit donec ad tempora Constantiensis & deinde Basileensis Concilii ventum est, quo auctoritate Eugenii IV. dissoluto, & translato ad Civitatem Ferrariæ, Basileense Conciliabulum instante Alberto Imperatore & dein Friderico III. plura contra Apostolicam Sedem tentare ausum est, donec comperta nullitate actorum ejus pseudo-Synodi, post translationem factam à Papa, Germanisque omnibus illuminatis, Fridericus III. supplex ab Eugenio Catholicæ Ecclesiæ Antistite, detestata pervicacia schismaticorum, absolutionem Episcoporum, qui Basileæ convenerant, & Procerum,

qui à fœdere Romanæ Ecclesiæ descive-rant, suamque impetravit, quemadmodum ostendunt Gobel. comment. lib. 1., Raynald. ad annum Christi 1447., & patet ex constitutione x. Pii II., in qua fusius res gestæ enarrantur.

XXVIII. Primariæ Preces ab Eugenio IV. Friderico III. concessæ.

Vix reconciliatus Fridericus duo petiit ab Eugenio; primum, ut omnes electi ad Ecclesias, & Beneficia, omnesque de iis provisi in Germania tempore contumaciæ, ii quoque, qui Conciliabulo adhæserant, pristinis honoribus & dignitatibus restituerentur, eorumque provisiones Papali diplomate validæ fierent: quod Eugenius fecit, quemadmodum legitur in Constitutione relata per Raynaldum ad annum Christi 1447. n. 4. 6. 7. & sequentibus: alterum, ut Papa indultum primariarum Precum ipsi concederet, quod & Eugenius Friderico benigne indulsit, ut infra referam. Interim missus est Joannes Cardinalis sancti Angeli Diaconus ad Germanos, ut tandem is auctoritate Legationis Apostolicæ componeret jurgia, quæ tanto tempore exarserant inter summos Pontifices, Imperatores, universamque inclytam Nationem occasione libertatis electionum, collationum, reservationum Apostolicarum, expectativarum, mandatorum de providendo vacatura, & similium.

Inita tandem fuit, Deo dante, concordia inter Fridericum, Principes, Prælatos, Capitula Germaniæ, & Papæ Legatum, ejusque pacta solemnia legi possunt apud Raynald. ad annum 1448. num. 3., & in Constitutione 1. Nicolai V., qui eam per Apostolicam Bullam confirmavit, & apud Goldastum in sæpe relato tom. 1. pag. 408. In ea sanè concordia Nicolaus Papa sibi soli, & Successoribus reservavit Beneficia expressa in Extravag. *Ad Regimen* de Præbend., Dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, & Collegiatis, necnon alia quæcumque, & quomodocumque vacantia in mensibus Januarii, Martii, Junii, Septembris, & Novembris: cæterorum verò Beneficiorum vacantium in aliis mensibus, præter jam reservata, collationem, & provisionem concessit Ordinariis Collatoribus, inhibuitque sibi, & Successoribus, iis mensibus, Ordinariis assignatis, ullam expectativam, sive aliam quamcumque gratiam vacatura complectentem concedere: & in §. 3. in omnibus Ecclesiis, & Monasteriis electivis, nullo excepto, in posterum fieri liberas, & canonicas electiones sancivit.

XXX. Concordata

Itaque si quæ irrepserat consuetudo primariarum Precum tempore quo Principes

Precibus Imperialibus opposita.

Germaniæ contra fas electiones canonicas invaſerant, & ante jam dictam concordiam; dilucidum fit per pacta jam relata ſubſcripta ab Imperatore, omnibuſque Imperii Ordinibus, illam fuiſſe penitus eradicatam; Concordata enim ſunt directè oppoſita Precibus Imperialibus: in illis enim cavetur Electores Eccleſiaſticos in poſterum totali libertate gaudere, ut innuunt illa verba: *Fiant electiones canonicæ:* ſed vigore Precum Electores poſthabita libertate electionis, quin nulla electione facta, coguntur Preciſtæ conferre: in illis reſervantur Ordinariis Collatoribus quidam menſes, in quibus neque Pontifices Romani, ſed tantummodo Ordinarii conferre queant, & Capitula eligere: quod jus ſubvertitur per Preces, quarum colore Ordinarii, & Capitula Preciſtæ, & ſic perſonæ deſignatæ & electæ ab Imperatore conferre omnino tenentur: in illis datur Epiſcopis canonica optio conferendi Beneficia magis dignis; at in Precibus datur optio Preciſtæ compellendi Ordinarios ad ſibi conferendum pinguiora: in illis Papa ſibimetipſi in gratiam inclytæ nationis inhibuit in menſibus aſſignatis Ordinariis Collatoribus, expectativas, aut mandata de providendo vacatura, vel ſimiles gratias, quibus

de vacaturis disponeretur, concedere. In Precibus Imperator disponit de vacaturis, data electione Precistæ obtinendi primò vacaturum, quod is elegerit; & quod plus est, in Concordatis Papa sibi tantummodò reservavit collationes omnium Beneficiorum, quorum jus Episcopis, & Capitulis non dederat, & quorum elenchum jam retulimus; in Precibus autem Imperator disponit de Beneficiis quibuscumque, exceptis Ecclesiis Episcopalibus, & majoribus dignitatibus; disponit etiam de Beneficiis quocumque mense vacantibus, & sic de illis vacatis, & vacaturis in mensibus soli Papæ reservatis. Demum in concordia nil quod beneficialia sapiat reservatur Friderico & Successoribus, & omnium Beneficiorum collationes distribuuntur inter Summos Pontifices, & Ordinarios Collatores Germaniæ; quamvis Fridericus, omnesque Germaniæ Ordines concordiæ adfuissent, eamque laudassent, & Imperator dissimulare haud potuisset jus primariarum Precum, quod Imperatores se habere existimaverant, cùm & ipse ab Eugenio prædecessore Nicolai V. indultum speciale super his impetrasset.

Hoc argumento exagitati Acatholici Scriptores, & Germani quidam Catho- XXXI. Adversarioꝝ

rum objectiones diluuntur.

lici, re haud recte perspecta, respondent in concordatis nullum fuisse irrogatum præjudicium primariis Precibus, in iis non expressis, vel concordata juribus Imperii præjudicare non potuisse, deficiente Imperii totius consensu, uti arrisit Lehmanno de pac. Relig. lib. 2. cap. 70., Fritschio de primar. Precib. cap. 2. §. 43., Vitriario Instit. Jur. publ. lib. 3. tit. 2. num. 9. in adnotat. ad fin. pag. mihi 56., Mayero in tract., quem nuper scripsit de jur. primar. Prec. num. 43. 44. & 45. pag. mihi 24. & sequentibus: qui pluribus nugis dignis solum Acatholico homine hanc rem absolvit, & ex nostris Pyringh. tom. 3. tit. 5. Decretal. num. 376. Engel. eodem tit. num. 71. aliique. Sed concordata jam relata constabilita fuere apud Germanos inter Legatum Pontificium, Fridericum Imperatorem, Electores, omnesque Principes Imperii, & Clerum universum Germaniæ, ut jam narravimus; adeoque inclyta Natio jam dicta sollicita fuit de illorum observantia, ut quisquis illis contraire ausus esset, edictis sequutorum Principum territus fuerit; quippe successor Friderici Maximilianus I. edicto cavit concordata sedulo servari; sic & Carolus V., & alii successores, uti patet ex edictis apud Golda-

stum sæpe citat. tom. 1. pag. 411. ad finem: & cùm quidam Episcopi conquererentur apud eundem Maximilianum I. quod contra pacta laudata expectativæ concederentur, Natio universa eidem Preces porrexit in hunc modum: *Sicut Regnum Franciæ pragmaticam habet sanctionem, sic Imperium Romanum habet concordata Principum; utque ea illæsa conserventur interest Cæsareæ Majestatis: raro tamen hactenus per Summos Pontifices violata sunt, & Auditores Rotæ juxta illa hucusque feruntur judicasse; & si aliquis Curialium per quamcumque dispensationem conaretur illa infringere, quod Episcopus, vel Princeps, vel Senatus ejusdem loci principiis obstando ei concordata inculcaret, piè exhortans ne contraveniat*: sic apud eundem Goldastum Germania universa sollicita fuit de concordatorum firma observantia. Quamobrem audiri non merentur Acatholici, qui videntes hujuscemodi Preces adversari concordatis, Imperatores pacta à prædecessoribus firmata, totoque cœtu Germaniæ laudata, ac tot edictis Imperatorum roborata, subvertere impunè posse arbitrantur.

XXXII. Concordata semper à

Facile etiam corruit aliud argumentum; quoniam si concordata inita sunt inter Summum Pontificem, & Impera-

Summis Pontificibus observata.

torem, cur successores Pontifices ex Germanorum confessione ad eorum observantiam tenentur, Imperatores verò nequaquam? Fridericus enim contraxit tanquam Imperator de consensu omnium Germaniæ Ordinum, atque ideò Imperatores omnes, quemadmodum Romani Præsules ea pacta servare tenentur: quod si dicatur primarias Preces, & jura Imperialia in concordatis non esse expressa, statim intelligitur id levissimum esse: quippe prætendebant prædecessores Friderici patronatum Regium in Ecclesiis Abbatialibus, & Cathedralibus Germaniæ, pluribusque ætatibus dederant investituras dictarum Ecclesiarum per anulum, & baculum, Romanis tamen Præsulibus contradicentibus. Hanc rem narrant quotquot sæculi decimi-tertii, & sequentis scripsere historiam, necnon Klokius consil. 4. num. 34. vol. 1., Mayerus de jur. primar. Prec. à nu. 30. ad 37., & num. 49., qui fusissime nugis suis suadere conatur ex eodem jurepatronatu jus harum Precum profluere. Ergo si jura ab Imperatoribus prætensa in concordatis minime comprehenduntur, ut Acatholicis arrisit, poterant impunè, possentque etiam Imperatores patronatus jura, aliasque investituras Ecclesiarum Ca-

thedralium, & Abbatialium dare: quod nemo prudens dixerit: quin constat post concordata jam dicta, nullum Imperatorem spatio fere trecentorum annorum prædicta tentasse.

XXXIII. Concordata electiones canonicas tuentur.

Enimvero in concordatis præsente & laudante Imperatore, totaque Germania plaudente, cautum fuit Cathedrales Ecclesias, & Abbatiales in futurum providendas, servata forma electionis canonicæ, & sic cum plena libertate eligentium: quod directe pugnabat cum investituris, & Regio patronatu ab Imperatoribus expetitis, unde planum erat hæc pacta, patronatus, & investiturarum prætensiones, quibus contradicebant, sustulisse; neque necesse erat abusus prædictos exprimere, cùm satis esset Imperatore præsente, & subscribente, iisdem per contraria pacta abrogatum. Sic quanquam prædecessores Friderici primarias Preces direxissent, neque eæ in concordatis expressæ legantur; nihilominus satis fuit Imperatori contrahenti nil reservatum fuisse, & pacta talia adjecta, repugnantia omnino primariis Precibus: quæ procul dubio contradicunt cuilibet concordatorum verbo, ex superius relatis, præsertim dum concordata prædicta paulo post Basileense Conciliabulum

scripta sunt: apud quod institisse probavimus Germanos omnes, qui in Comitiis Moguntiæ celebratis adfuerunt, supplicantes pro Conciliari decreto, quo statueretur Principibus fas non esse: *Pro quopiam commendando molestis Precibus, aut violenta comminatione premere, aut cogere electores*; addentes præterea expectativas, mandata de providendo vacatura, & reservationes vacaturorum ab Ecclesia Dei eradicandas, ex Goldast. sæpecitato tom. I. pag. 401. 403. cap. 4. num. 11. 12. & 34.

XXXIV. Concordata in gratiam Germanorum conscripta.

Quare si concordata conscripta fuere in gratiam Germanorum, & ut eorundem clamores cessarent, atque Decreta à Basileensi Conciliabulo, cui Germani adhæserant, evanescerent; nemo prudens rerum æstimator arbitrabitur concordata ea intentione inita præservasse jus primariarum Precum, quibus electores minis premebantur, & Collatores cogebantur conferre vigore comminationum Principum, qui disponebant quoque de vacaturis. Itidem si in mensibus assignatis Ordinariis, Papa sibimetipsi inhibuit eas concessiones, quæ quomodolibet vacatura continebant; vix credi potest id, quod inclyta Natio petiit, in posterum Pontificibus Romanis haud

permitti, præservatum fuisse laicæ potestati.

XXXV. Fridericus III. agnoscit irritas Preces primarias sine Indulto Pontificio.

Hæc autem eo amplius firmantur, quod Fridericus ipse, qui concordiam iniit, præcedenter agnoverat, sine indulto Pontificio perperam Ordinarios premere primariis Precibus ad conferendum, potuisse; quippe is vix reconciliatus Eugenio IV., indultum nominandi ad centum Beneficia impetravit, quo non indiguisset, si putasset se Precum vigore ad longe plura Beneficia jus nominandi habere: & sane patet Fridericum tunc primarias Preces non direxisse, dum post concordata indultum primariarum à Nicolao V. successore Eugenii obtinuit, ut infra exponam.

XXXVI. Omnes Friderici successores indultum primariarum Precum petierunt.

At res in propatulo est, si exempla ejusdem Friderici, & successorum omnium, usque ad gloriosissimum Imperium Leopoldi Patris Augustissimi Imperatoris, nuper inaugurati, perquiramus; omnes namque post concordata jam dicta indultum Apostolicum primariarum Precum curriculo fere trium sæculorum obtinuerunt; neque Germani Ordinarii, sine indulto Pontificio Imperialibus Precibus obsequuti sunt: quin si aliquando in indultis derogatum non fuisset Concordatis, vel post indultum leges Pontificiæ

latæ essent, quæ Precibus contradicerent, eas exequi renuerunt. Hæc res manifestum facit Concordata sustulisse abusum, qui antea irrepserat, & Imperatores, Germaniamque universam in eam ivisse sententiam, ut sine privilegio Papæ non liceret Imperatoribus Preces primarias suo jure dirigere. Hinc apparet diplomata Precum nuper ab Augustissimo Imperatore directa non hærere exemplo prædecessorum; si prædecessores omnes, uno Augustissimo Leopoldo excepto (de quo infra verba faciam) sine indulto Apostolico hasce Preces nequaquam direxerunt: quæ omnia patent ex sequentibus indultis, mihi ab amico in Curia Romana commorante transmissis; quorum originalia non dubito in Archivis Imperialibus juxta ac Pontificiis adhuc servari. Diximus Fridericum III. vix Romanæ Ecclesiæ reconciliatum, ab Eugenio IV. ante Concordata indultum nominandi ad centum Beneficia personas idoneas impetrasse, uti narratur in secundo indulto Nicolai V. mox referendo: diximus etiam post concordata subscripta statim eumdem Imperatorem Nicolao V. supplicasse pro indulto primariarium Precum, quod probatur ex formula indulti Nicolai V. in hunc modum concepta:

Nicolaus &c. Charissimo in Christo filio Friderico Romanorum Imperatori semper Augusto salutem &c. Digna consideratione fidelitatis, & devotionis tuæ merita, quibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ unitati, & tibi in Apostolatus officio divinitus collato auctoritati conservandis, prout rerum experientia edocente cognovimus, ferventer afficeris, intra nostræ mentis perstringentes interna, congruere, ut ab eadem Ecclesia, cujus te fidelem Advocatum devovisti, & à qua, eam humili professione Matrem tuam recognoscentem, & dominam ad ipsius Ecclesiæ honorem, & sacri Romani Imperii decus unctionem victoriæ, & Imperiale diadema nostro ministerio suscipere meruisti, omnis favoris prosequaris impendiis, & nos ea tibi favorabiliter concedamus, quæ tuæ Celsitudini cedant ad honorem, & per quæ benemeritis te munificum reddere possis ope auctoritatis Apostolicæ in exhibitione gratiarum. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati eidem Celsitudini tuæ dicta auctoritate præsentium serie concedimus, & indulgemus, quod si per te quibusvis Collatoribus, sive Collatricibus quorumlibet Beneficiorum Ecclesiasticorum Regularium, vel sæcularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutis, etiam si qui,

XXXVII. Indultum Nicolai V. Friderico III.

vel si qua ex illis Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine Cura sæcularibus, vel Ordinum hujusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus etiam Metropolitanis, Collegiatis, vel aliis quibusvis Ecclesiis, etiamsi Beneficia hujusmodi, Canonicatus, & Præbendæ, aut Dignitates, personatus, Administrationes, vel Officia hujusmodi in Cathedralibus, Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsæ Præbendæ in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, & minores Præbendæ fore noscuntur, etiam majores fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat Animarum, dummodo dignitates ipsæ in Cathedralibus, & Metropolitanis post Pontificales majores, aut in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales non existant, ad eorundem Collatorum, & Collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentibus singulis personis, quæ hujusmodi Beneficiorum juxta statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus ea fuerint, sive indulta eisdem Ecclesiis

Beneficia in indulto, excepta.

per

per Sedem Apostolicam concessa aliàs capaces sint conferendis : seu super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur Preces porrigere, sive de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit primarias, iidem Collatores, & Collatrices, salvo quod singulæ collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quam in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores & Collatrices saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit, juxta earundem Precum seriem recipere, & admittere debeant, & etiam teneantur : quodque quicumque in quibusvis dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici, singuli videlicet ex illis, quos pro singulis personis prædictis Precum, & nominationum hujusmodi, & ad hoc ut illæ suum sortiantur effectum, etiam præsentium Executores deputaveris per se, vel alium, seu alios Beneficia prædicta, cùm in quibusvis mensibus vacaverint ; & quæ personæ, pro quibus Preces, sive nominationes hujusmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi Preces ad illa se extendant post publicationem ipsarum Pre-

cum, sive nominationum eo modo, quo etiam alia indulta super Ecclesiasticis Beneficiis conferendis quibusvis personis concessa, vel concedenda publicari volumus facienda infra mensem, postquam ipsis vacatio Beneficiorum hujusmodi innotuerit, duxerint acceptanda, dummodo eadem personæ, nisi Apostolicæ Sedis Officiales, vel cum vigore examinis in aliqua licita facultate graduati sint, ad obtinendum Beneficia hujusmodi per diligentem examinationem Executorum prædictorum, quorum conscientiam oneramus, reperti fuerint idonei; & ipsa Beneficia dispositioni Apostolicæ generaliter reservata non sint, ipsorumque collatio fuerit juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta; neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa &c. non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon aliis Ecclesiarum &c. Volumus autem, quod Executores prædicti de nominibus, & cognominibus personarum, quibus dicta Beneficia per eos conferri contigerit; ac de diebus collationum hujusmodi generales Cameræ Apostolicæ aut Collectores, seu Subcollectores fructuum eidem Cameræ debitorum in partibus illis deputatos pro tempore quanto citiùs certificare procurent; quodque acceptationes, ac provisio-

Beneficia in indulto, excepta.

Onus denunciandi provisiones Collectoribus Apostolicis.

Conditiones indulti.

nes, quas Precum, & nominationum primariarum, ac præsentium vigore fieri contigerit, ad instar publicationum, quæ de acceptationibus, & provisionibus vigore gratiarum expectativarum per nos concessarum factæ fuerint, faciendæ juxta quandam constitutionem nostram super hoc editam infra tempus in eadem constitutione expressum, & sub pœnis in ea per nos adjectis debeant publicari &c. Et insuper irritum decernimus, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, quartodecimo Kalendas Aprilis, anno sexto.

XXXVIII. Nicolaus V. non derogavit Concordatis.

Cùm autem hoc indulto Nicolaus V. Concordatis Germaniæ non derogasset, & post indultum quasdam constitutiones publicari fecisset pro declaratione expectativarum; atque alia indulta pro expectativis in mensibus sibi reservatis, juxta tenorem Concordatorum, quibusdam Ordinariis Germaniæ concessisset, hinc innumeræ lites ortæ: plures enim Episcopi Precibus parere nolebant, habentes expectativas à Papa, præferri, obtinentes indulta suas expectativas exequi, contendebant; & expectantes Precistis op-

ponebant per leges post indultum Friderico datum à Papa, promulgatas, Precistas vel non implevisse legum formas, vel uti Precibus non potuisse. In hoc rerum discrimine Fridericus iterùm Papæ supplicavit, ut dignaretur novum indultum concedere, in quo & Concordatis derogaretur, & omnia prædicta dubia tollerentur, quibus Pontifex annuit his verbis:

XXXIX. Novum indultum Nicolai V. Friderico III. *Nicolaus, &c. Dum ad præclaram, eximiamque fidei constantiam, ac devotionis sinceritatem, quibus charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus erga nos, & Sedem Apostolicam clarere dignoscitur, necnon operosæ sollicitudinis studia, ac multiplices labores, quos ipse Imperator pro Divini Nominis gloria, & conservanda Ecclesiæ unitate adhibuit hactenus, & habet, & adhibet indefessè, nostræ considerationis dirigimus intuitum; dignum, quin potiùs debitum censemus, ut ad ea libenter intendamus, per quæ sublatis quibusvis litigiorum, & ambiguitatum dispendiis per nos sibi, & illorum vigore per ipsum aliis personis factæ concessiones, & gratiæ suum sortiantur effectum &c.* Indultum Eugenii IV. Friderico III. *Dudum siquidem fel. recordat. Eugenius Papa IV. prædecessor noster Vener. Fratri nostro Episcopo*

Chienien. reservandi donationi suæ pro centum personis idoneis, quas dictus Fridericus tunc Romanorum Rex duceret sibi nominandas, totidem Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura in terris, & dominiis hæreditariis ipsius Regis consistentia, & nonnulla alia tunc expressa faciendi cum nonnullis prærogativarum, annullationum, & aliis clausulis facultatem per quasdam suas literas concessit &c. Postmodùm verò eidem Friderico tunc Imperatori per alias nostras literas concessimus, quod singuli Collatores, & Collatrices per sacrum Romanum Imperium ubilibet constituti personas quaslibet, pro quibus Imperator ad certa Beneficia Ecclesiastica in quibusvis mensibus vacantia primarias Preces porrigeret, recipere, & admittere tenerentur, prout in singulis nostris, & prædecessoris literis prædictis, quarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus haberi volumus pro expressis, pleniùs continetur. Cùm autem, sicut accepimus pro eo, quod in dictis nostris posterioribus literis in effectu inter cætera voluimus primarias Preces per dictum Imperatorem faciendas ab Beneficia Ecclesiastica se extendere post publicationem ipsarum, eo modo quo etiam alia indulta super Ecclesiasticis Beneficiis conferendis quibusvis per nos concessa, vel

concedenda publicari voluimus, faciendarum: voluimus etiam, quod acceptationes, & provisiones, quas Precum, ac posteriorum literarum nostrarum prædictarum vigore fieri contingeret, ad instar publicationum, quæ de acceptationibus, & provisionibus vigore gratiarum expectativarum per nos concessarum facta forent, facienda juxta quandam constitutionem nostram super hoc editam infra tempus in eadem constitutione expressum, & sub pœnis in ea adjectis deberent publicari: pro eo quoque quod licet in dictis posterioribus literis de aliquibus constitutionibus, & regulis, per quas ipsarum posteriorum literarum effectus impediri posset, mentio facta fuerit, non tamen de omnibus, nec talis extitit facta mentio, quod illis sit sufficienter derogatum; nos quoque etiam post, & ante, quasdam constitutiones, ordinationes, & regulas edidimus, & in nostra Cancellaria publicari fecimus, ac nonnullas expectativas, gratias, nominationes, seu nominandi, vel conferendi Beneficia facultates, & de primò vacaturis, seu alias speciales reservationes, conferendi mandata, uniones, annexiones, incorporationes, prærogativas, annullationes, declarationes, aliasque concessiones, indulta, & privilegia concessimus, per quæ cùm ut ab aliquibus asseritur prædecessoris, & pri-

modictarum nostrarum literarum obtentu nominatis, seu primarias Preces hujusmodi habentibus in assecutione Beneficiorum expressè præjudicatum fuerit, & præjudicetur, quamplures ex nominatis, & habentibus Preces hujusmodi, in assecutione Beneficiorum illorum vigore facienda, impediti; quidam etiam diversis litibus involuti, & fatigati extiterunt laboribus & expensis, involvunturque in dies magis, & fatigantur. Nos non obstantibus prædictis, & quibusvis aliis contrariis in dictis posterioribus nostris literis contentis clausulis, quæ, si quæ sint in eis præter mentem nostram appositæ extiterunt, etiam ab ipsarum literarum data, ac expost nostræ intentionis fuit, prout & adhuc existit, quod nominati, seu primariæ Preces habentes hujusmodi omnibus, & singulis aliis etiam familiaribus nostris continuis commensalibus, in certo libro dictæ Canollariæ descriptis, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus dumtaxat, & nonnullis aliis exceptis in assecutione quorumvis Beneficiorum per eos vigore nominationum, seu Precum, & nostrarum, & prædecessoris literarum prædictarum facienda præferrentur, & præferantur; quodque tam Imperator, quàm nominati, & habentes Preces hujusmodi, ac desuper eis concessæ Preces, seu nominationis

literæ ad cujusvis constitutionis, ordinationis, seu regulæ per nos tunc editæ, seu publicatæ, vel in posterum edendæ, & publicandæ solemnitatem, restrictionem, formam, vel satisfactionem, seu observantiam minimè tenerentur; nec ipsæ nominationes, seu Preces sub illis comprehenderentur quoquo modo; ut intentio nostra hujusmodi cunctis pateat evidentiùs, nec de illa in posterum valeat hæsitari, ac juxta eam sublatis quibusvis ambiguitatum & litigiorum dispendiis, nominationes, & primariæ Preces hujusmodi suum, & debitum sortiantur effectum providere volentes; motu proprio &c. ex nostra mera deliberatione, & ex certa scientia nostræ intentionis fuisse, & adhuc esse, ac quod semper erit illa, quod per quam sub certis inibi expressis pœnis inter cætera voluimus, quod singuli, postquam Beneficia Ecclesiastica vigore gratiarum expectativarum acceptassent, ex tunc infra unius mensis spatium eis de dictis Beneficiis ritè provideri, ac subsequenter infra tres alios menses immediatè sequentes acceptationes, & provisiones hujusmodi certis locis, diebus, & quibus inibi etiam expressis publicari, necnon infra annum similiter inibi expressum illas, ac dictas publicationes ipsorum Beneficiorum possessoribus, si qui tunc, alioquin quamprimum foret, intima-

ri facere, vel super jure, si quod eis in dictis Beneficiis competere putarent, judicialiter expediri deberent, & tenerentur; ac alia successivè per nos prorogata, quæ cum irritantis decreti interpositione Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ad quas dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinet, de quibusvis dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, Canonicatibus, & Præbendis, aliisque Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura sæcularibus, & Regularibus ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, quæ infra certum similiter tunc expressum tempus in Martii, Junii, Septembris, & Decembris mensibus vacare contingeret, dummodò dispositioni Apostolicæ generaliter reservata non forent, perinde ac si aliquæ à Sede Apostolica, vel ejus Legatis expectativæ gratiæ, aut super illis reservationes non emanassent, liberè disponendi concessimus facultatem; & alia, per quam declaravimus nostræ intentionis fuisse, & esse, quod per quascumque expectativas, nominandi, seu conferendi de primò vacaturis facultates, vel alias speciales reservationes, ac de sic reservatis conferendis, man-

data, ſuppreſſiones, uniones, annexiones, & reductiones ad jus commune, gratias, conceſſiones, & indulta, cum quibuſvis prærogativarum favoribus, antelationibus, declarationibus, etiam motu ſimili, ſub quibuſvis verborum formis, & aliis clauſulis derogatoriis etiam inſolitis, quibuſvis perſonis cujuſcumque gradus, dignitatis, conditionis, & ordinis exiſterent, Eccleſiis, Monaſteriis, eorumque menſis, etiam capitularibus conceſſa, & in anteà concedenda, non intendebamus fieri præjudicium aliquod noſtris familiaribus, continuis commenſalibus deſcriptis prædictis; quin ipſi familiares eſſent priores in aſſecutione Beneficiorum vigore gratiarum eis conceſſarum omnibus præmiſſis, & aliis quibuſcumque, etiamſi eis derogaretur expreſſe; ac illa, per quam inter cætera ſtatuimus, decrevimus, & ordinavimus, quod per nullas ſpeciales reſervationes, & conferendi mandata Ordinariis Collatoribus, quominus beneficia ad ipſorum collationem ſpectantia juxta ſupradictorum in illorum favorem per nos editam ordinationem liberè conferre valerent, aliquod præjudicium fieret, etiamſi per illa ipſis Ordinariis, & ordinationi præjudicaretur expreſſe: & ea etiam per nos poſtmodum innovata, & ſervari mandata, per quam

statuimus, & decrevimus, quod nullus uti, & gaudere posset pluralitate gratiarum, sed quod una consumpta, reliquæ omnes eo ipso essent cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, & momenti, etiamsi motu proprio concessæ forent; seu quod quis eis similiter uti, & gaudere valeret, & quod una consumpta, alia firma maneret in eis, vel in earum altera foret nominatim expressum, necnon ipsa, qua per quasdam nostras literas omnes, & singulas gratias, nominationes, nominandi, seu conferendi facultates, ac speciales reservationes, & conferendi mandata quoad Beneficia in Ordinariorum mensibus hujusmodi vacantia se extenderent hactenus per nos concessa, quatenus per eam constitutionem Ordinariorum facultatibus, & indultis quoquo modo derogaretur, quæ nondum sortita forent effectum, nisi ad id expressus Ordinariorum consensus accederet, revocavimus &c.: & illa, per quam statuimus, & ordinavimus, quod omnes, & singulæ concessiones, & literæ, etiam motu, & scientia similibus, etiamsi per viam inhibitionis, statuti, quibusvis personis cujuscumque status, aut dignitatis existerent, etiamsi Regali, Reginali, Archiepiscopali, Episcopali, vel Ducali præfulgerent dignitate, per nos editæ, seu concessæ, aut in po-

ſterum edendæ, ſeu concedendæ, per quas expectativarum ſpecialium, reſervationum, ſeu aliarum gratiarum beneficialium effectus in genere in quibuſvis Provinciis, Diœceſibus, & Eccleſiis quomodolibet impediretur in ipſorum locorum Cathedralibus Eccleſiis coram teſtibus, & Notario, qui copiam facultatum petentibus concedere teneretur, ſolemniter publicarentur &c. Ac quæcumque per nos editæ, & præſertim illæ, per quas decrevimus, quod habentes in communi forma pauperum in aſſecutione Beneficiorum valoris inibi expreſſi omnibus aliis præferrentur &c. Ac omnes, & ſingulæ aliæ ordinationes, conſtitutiones, & regulæ in contrarium forſan per nos hactenus editæ, & publicatæ, ſeu in poſterum edendæ, & publicandæ, omnes quoque, & ſingulæ expectativæ gratiæ, nominationes, nominandi, ſeu conferendi Beneficia facultates, & de primò vacaturis, ſeu aliæ ſpeciales reſervationes, & conferendi mandata, uniones inſuper, annexiones, incorporationes, ſuppreſſiones, approbationes, prærogativæ, annullationes, declarationes, & quod in Eccleſiis, in quibus majores, mediæ, & minores, aut aliæ Præbendæ exiſtunt, & ex quarum Eccleſiarum ſtatutis, & conſuetudinibus ad majores Præbendas quis nonniſi gradatim, & per optionem,

ac etiam in illis personaliter residens posset, seu consuevisset extendere, nullus vigore expectativarum, seu quarumcumque aliarum gratiarum à nobis, vel Sede prædicta, seu aliàs sub quibusvis formis, & expressionibus verborum, & cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis pro tempore concessarum, & habitorum per eas processuum vigore, ad aliquam ex majoribus Præbendis hujusmodi recipi, & admitti, & jus in eis quæri posset, nisi tempore vacationis majoris Præbendæ ipsius Ecclesiæ Canonicatus, majori, vel media Præbenda actu præbendatus existeret; & apud ipsam Ecclesiam effectualem, & realem, quacumque juris cessante fictione, residentiam faceret personalem; & de minoribus ad medias, ac de mediis ad majores Præbendas hujusmodi illius Canonici gradatim, & per optionem ascenderent, etiam per viam perpetuæ constitutionis, statuti, vel inhibitionis, ac quævis alia indulta, concessiones, & literæ etiam confirmationis Concordatorum nationis Germaniæ per nos, vel dictam Sedem, seu aliàs concessa, & in posterum concedenda, ipsa quoque Concordata, necnon Ecclesiarum de optando, illarum Præbendas, dignitates, seu alia Beneficia statuta, & consuetudines, sub quibusvis formis, & ex-

Nicolaus V. derogat Concordatis Germaniæ.

pressionibus verborum, & cum quibuscumque clausulis etiam talibus, per quas nominatim, specifice, & expresse ipsis per Imperatorem nominatis, seu primarias Preces habentibus, vel alicui eorum nominationi specifice, & expresse derogaretur &c. Volumus autem, quod ipsi nominati, & primarias Preces habentes, Canonicatus, & Præbendas, Beneficia, & Officia &c. sub eorum nominationibus, seu primariis Precibus comprehensa, si vacabant, vacant, vel insimul, aut successive vacabunt alias, juxta dictarum Precum tenorem, atque formam acceptare, & Precum hujusmodi executores de illis sibi providere; & omnia alia in præmissis quomodolibet opportuna facere, & exequi possint, & valeant perinde ac si acceptationes, ac provisiones prædictæ nullatenus subsequutæ fuissent, non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, decimo Kalen. Octobris, Pontificatus nostri anno octavo.

XL. Indultum Calixti III. Friderico III.

Mortuo Nicolao V., apud Calixtum III. successorem Fridericus usu rerum edoctus institit petens diploma, quo omnia disposita per Nicolaum confirmarentur, iterumque Concordatis Germaniæ

derogaretur ; quod Calixtum fecisse scimus ex sequenti bulla :

Calixtus &c. Cæsareæ dignitatis celsitudinem, necnon eximiæ, qua charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Romanorum Imperatorem semper Augustum erga nos, & Apostolicam Sedem clarè cognovimus devotionis affectum intra nostræ mentis arcanum digne revolventes, nedum ad ea nostri partes officii libenter extendimus, per quæ propagatis Romanorum Imperii juribus, & præeminentiis, etiam Imperatoriis, & Imperii decus eorundem, & honor, aliisque benemeritis profectus, & commoda succedere valeant ; verum etiam, ut ea, quæ per Sedem Apostolicam Imperatori, & personis prædictis gratiose sunt concessa, sublato quovis dubio super illorum intellectu, nostri opitulatione ministerii in sui roboris integritate serventur. Dudum siquidem fel. recordat. Nicolaus Papa V. prædecessor noster eidem Imperatori per suas literas gratiose concessit, ut singuli Collatores, & Collatrices per sacrum Romanum Imperium constituti, qui quatuor, & ultra Beneficia Ecclesiastica conferre haberent, personas quaslibet, pro quibus ipse Imperator ad certa Beneficia Ecclesiastica in quibusvis mensibus vacantia primarias Preces porrigeret, recipere, & admittere

tenerentur &c. Dein relato toto tenore indulti primi, & secundi Nicolai V. ita prosequitur: *Nos igitur, qui præfato Nicolao prædecessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, fuimus Divina disponente clementia, ad summi Apostolatus apicem assumpti, cupientes, ut tam priores, quam posteriores præinsertæ ipsius prædecessoris literæ, necnon primariæ Preces, quas idem Imperator pro quibusvis personis hactenus porrexit, aut porriget in futurum, semotis omnium dubitationum obstaculis, suum debitum consequantur effectum; indultum, declarationem, præceptum, mandatum, & derogationem hujusmodi, necnon omnia, & singula tam in prioribus, quam præinsertis posterioribus ejusdem prædecessoris literis, ac etiam primariis Precibus hujusmodi contenta, & inde sequuta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium motu proprio &c. mera liberalitate, & de certa nostra scientia approbamus, ratificamus, & confirmamus, ac juribus subsistere debere declaramus, de novoque concedimus pariter, & indulgemus: decernentes, & declarantes tam dicti Nicolai prædecessoris prædictas, quam nostras hujusmodi literas nullatenus de subreptionis, vel obreptionis vitio notari potuisse, vel debuisse, aut posse, vel*

debere

debere quoquo modo; quodque dictarum ipsius prædecessoris posteriorum literarum tenor ipse sic insertus omnimodam rei, & facti certitudinem faciat, illudque robur, eandem vim, & vigorem per omnia habeat, quam quod, seu quem facerent, & haberent originales literæ præinsertæ &c. Volentes, quod personæ istæ, pro quibus Preces hujusmodi sunt porrectæ, seu porrigentur in futurum in assecutione Beneficiorum hujusmodi in quibusvis tam Apostolicis, quàm Ordinariis mensibus in quadam constitutione per nos edita, ac Principum nationis Germaniæ Concordatis, & ipsius prædecessoris eorundem Concordatorum confirmatoriis literis expressis pro tempore vacantium, omnibus aliis cujuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis fuerint, etiam præsentibus in Romana Curia, & illam, juxta constitutionem per nos editam sequentibus, ac nostris veris familiaribus, domesticis continuis commensalibus in certo libro Cancellariæ nostræ descriptis, ac pro tempore describendis, ac cæteris quibuscumque, præterquam personis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, præferantur, ac possint, & debeant anteferri, etiamsi per regulas, vel ordinationes, seu literas nostras, etiam cum interpositione decreti irritantis aliud statue-

remus ipsis præsentibus, seu familiaribus antelationum prærogativas concederemus, &c. Et quod tam Imperator, quam habentes Preces hujusmodi, ac desuper eis concessæ Preces, & literæ ad cujusvis constitutionis, ordinationis, seu regulæ per nos editæ, vel publicatæ, seu in posterum edendæ, vel publicandæ, solemnitatem, restrictionem, formam, vel satisfactionem, seu observantiam minime teneantur, nec ipsæ Preces sub illis comprehendantur quoquo modo. Et insuper motu, & scientia similibus volumus, decernimus, & mandamus sic per quoscumque Auditores, Judices, sive Commissarios, ac Executores in dicta Curia, vel extra illam, etiam in causis in quacumque instantia pendentibus, sublata eis quacumque alia super iis interpretanda facultate, ac regulis, constitutionibus, ordinationibus, literisque revocatoriis, & præjudicialibus, tam per dictum Nicolaum prædecessorem, quàm nos editis, factis, vel concessis, aut edendis, faciendis, vel concedendis, ac nationi Germanicæ Concordatis, & literis eorundem confirmatoriis prædictis in hac parte penitus rejectis, quibus omnibus, & singulis, ac si de verbo ad verbum insererentur motu, scientia, & auctoritate similibus hac vice dumtaxat specialiter, &

Calixtus derogat Concordatis.

expresse derogamus, pronuntiari, sententiari, & definiri debere &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo, quinto Kalen. Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

XLI. Indulta Friderico supplicanti concessa, nulla consuetudine allegata.

Patet ex diplomatibus Nicolai V. superius adductis, indultum primariarum Precum fuisse Friderico concessum eo supplicante, & quidem postquam Romæ coronatus fuerat à Pontifice Romano, & ejus electio ab eodem confirmata; & post præstitum juramentum obedientiæ, ac postquam ille devoverat se Advocatum Romanæ Ecclesiæ. Patuit etiam neque in indultis per somnium nominatam consuetudinem prædecessorum Friderici, & quod hæ primariæ Preces ab indulto Pontificio pendebant: itidem quod Fridericus indulto Nicolai V. usus fuit, Precesque in illo fundavit; & quot quantæque fuerint exceptiones à Germanis oppositæ Precibus à Friderico directis vigore indulti Pontificii, quas ut amputaret, non adduxit Imperator consuetudinem, sed Papæ iterùm supplicavit pro novo indulto, quo Concordatis Germaniæ derogaretur, & leges à Pontifice latæ, primariis Precibus contrariæ, tollerentur, aut declararentur: quod sanè Fri-

derici factum, & quidem statim ac Concordata inita fuerant, tanti ponderis est, ut rem prorsus manifestam faciat.

XLII. Maximilianus I. Preces primarias obtinet.

Friderico, qui vixit ad annum 1492. successit Maximilianus I. ejus filius, qui cum Rex Romanorum patre vivente electus esset, ab Innocentio Papa VIII. simile indultum primariarum Precum obtinuit. At cùm Collatores Germaniæ se opposuissent Precibus à Maximiliano porrectis in vim dicti indulti, quod is, quanquam in Romanorum Regem electus, patre vivente, non potuisset eo indulto uti, & Preces porrigere, necnon indultum illi concessum per regulas quasdam Cancellariæ dein ab eodem Innocentio publicatas revocatum esset; opponerent itidem Preces Imperiales numquam arctasse Electores, & Beneficia, quæ Capitula previa electione conferebant; minusque illa, ad quæ Ecclesiastici præsentabant, & ob eam causam Preces ipsas Imperiales impunè spernerent; Maximilianus Innocentio supplicavit pro novo indulto, in quò prædictæ exceptiones tollerentur, & primariæ Preces suæ exequutionem haberent: quod Innocentius fecit ann. 1492. quo Fridericus obiit, quemadmodum patet ex indulto sequenti:

Innocentius &c. Ad futuram rei memoriam. Dudum ad illam fidei constantiam, eximiæque devotionis affectum, quibus charissimus in Christo filius noster Maximilianus Romanorum Rex illustris in nostro, & Apostolicæ Sedis conspectu clarere dignoscitur nostræ dirigimus considerationis intuitum, meritò inducimur ad illa favorabiliter concedendum, per quæ ejus Serenitati honor accrescat, & ejus consideratione gratis, acceptisque ei personis Ecclesiasticis congruæ provisionis subsidium valeat provenire. Dudum siquidem fel. record. Nicolaus Papa V. prædecessor noster inter alia charissimo in Christo filio Friderico Romanorum Imperatori semper Augusto per quasdam gratiose concessit, & indulsit, quod sic per eum quibuscumque Collatoribus, seu Collatricibus quorumlibet Beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet consistentium, etiam si qui, vel si quæ ex illis Pontificali, vel quavis dignitate præfulgerent, seu Collegia, Capitula, & Conventus forent super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura sæcularibus, vel Ordinum hujusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Collegiatis, vel aliis qui-

XLIII. Indultum Innocentii VIII. Maximiliano I.

busvis Ecclesiis, etiamsi Beneficia hujusmodi, Canonicatus, & Prabendas, aut dignitates, personatus, administrationes in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsæ Prabendæ in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, & minores fore noscebantur, etiam majores forent, & ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consuevissent, qui per electionem assumi, eisque cura immineret Animarum, dummodò dignitates ipsæ in Metropolitanis, & aliis Cathedralibus post Pontificales majores, aut in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales non existerent, ad eorundem Collatorum, & Collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentibus singulis personis, quæ hujusmodi Beneficiorum juxta statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus forent, sive indulta eisdem Ecclesiis per Sedem Apostolicam concessa, aliàs capaces essent, conferendis, seu super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur, Preces porrigi, sive de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contingeret, primarias iidem Collatores & Collatrices, dummodò singulæ collationes, & sin-

gulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quàm in uno Beneficio non gravarentur, ac ipsi Collatores, & Collatrices, saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi Precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum foret, juxta earundem Precum seriem recipere, & admittere tenerentur, etiamsi Preces ipsas prosequentes præsentes non forent ad præstandum de observandis statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus Beneficia ipsa forent, solitum juramentum &c. dummodò ipsa Beneficia dispositioni Apostolicæ generaliter reservata non essent, ipsorumque collatio non foret juxta Lateranen. statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, neque super illis inter aliquos lis penderet indecisa &c. Et demum nos præfato Maximiliano Regi, & illius consideratione illis, pro quibus Rex ipse primarias Preces Collatoribus & Collatricibus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro personis Ecclesiasticis beneficiandis, post ipsius Regis Maximiliani assumptionem in Regem Romanorum, præfato Friderico Imperatore ejus genitore adhuc in humanis agente porrexerat; quod Preces prædictæ sic porrectæ Collatoribus & Collatricibus, quibus per Fridericum, & prædecessores prædi-

ctos Romanos Imperatores porrigi solitæ erant, & quasi porrigi contingeret in posterum eisdem Collatoribus, quibus porrigi solitæ erant, & nondum per ipsum Maximilianum Regem porrectæ fuerant, quoad Beneficia Ecclesiastica quæcumque, & qualiacumque cum cura, & sine cura sub illis comprehensa, eum prorsus sortirentur effectum, quem sortiri consueverant similes Preces eorum Regum Romanorum, qui Imperio vacante in Reges Romanorum retroactis temporibus electi & assumpti post acceptam per eos Imperii coronam Preces ipsas porrexerant, primo per quasdam concessimus, & deinde per alias nostras literas motu proprio, & ex certa nostra scientia voluimus, & Apostolica auctoritate decrevimus, quod Preces prædictæ per eundem Regem porrectæ, & porrigendæ quibuscumque Collatoribus, & Collatricibus in Civitatibus, Locis, & Terris Germaniæ, ac in toto Romano Imperio, extra tamen Italiam consistentibus ad unum Beneficium dumtaxat, ac singulæ literæ desuper confectæ, etiam super quibus processus in forma solita decreti non fuerant, seu conficiendi, sive illæ sortitæ forent effectum, sive non, ab earum data valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent in omnibus, & per omnia perinde ac si decreti fuissent; ita tamen, quod singuli Collatores, ultra

quam in uno Beneficio non gravarentur: suppleviмusque omnes defectus, si qui forsan intervenerant in eisdem certis desuper Exequutoribus deputatis, qui ad executionem literarum super præsentibus hujusmodi confectarum, quæ suum effectum sortitæ non fuerant, processus in forma consueta decernerent, in omnibus, & per omnia perinde ac si literæ ipsæ eis directæ fuissent &c. Cùm autem, sicut postmodùm accepimus, asseratur à nonnullis Preces ipsas, Collatores & Collatrices, quibus diriguntur, non arctare adeo, quin factæ per eos præsentationes, & dispositiones de Beneficiis Ecclesiasticis pro tempore vacantibus sub ipsis præsentibus comprehensis, dispositiones quæcumque in aliorum, quàm Preces ipsas prosequentium favorem validæ, & efficaces remaneant, & illos, ad quorum collationem dumtaxat, non autem electionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem Ecclesiastica Beneficia pertinent, per hujusmodi Preces requiri non posse, nec arctari ad parendum eisdem, dictisque literis nostris per literas, & regulas Cancellariæ à nobis emanatas, fuisse, & esse præjudicatum; Nos, qui præfatum Regem, suis exigentibus meritis, suæque Celsitudinis consideratione, singulari benevolentia prosequimur, & gerimus in visceribus charitatis; volentes, ut de-

Exceptiones Germanorum contra Preces.

bemus, super iis opportunè providere, motu simili &c. seu de nostra mera liberalitate ac ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Apostolica auctoritate præsentium tenore declaramus nostræ intentionis incommutabilis tam tempore factæ per nos confirmationis Precum earundem, ac hactenus fuisse, & esse in futurum: quod tam præfatus Maximilianus Rex, quàm ab eo hactenus post ipsarum Precum à nobis confirmationis obtentu usque modo, & quas obtineri continget in posterum: quicumque habentes Preces hujusmodi, ac desuper eis concessæ literæ, ad cujusvis constitutionis, ordinationis, seu regulæ Cancellariæ per nos tunc editæ, seu publicatæ, seu in antea edendæ, & publicandæ solemnitatem, restrictionem, formam, satisfactionem, seu observantiam, minime tenerentur: nec ipsæ Preces sub illis comprehenderentur quoquo modo, ac etiam minime teneantur, aut comprehendantur in futurum. Quodque dictæ Preces eundem vigorem haberent, & habeant, quem juxta literas Nicolai, Calixti, atque Sixti prædecessorum nostrorum prædictorum, Preces Imperatoris præfati habere potuerunt, & debuerunt, & eosdem sortiantur effectus, & prosequentes illas in assecutione Beneficiorum hujusmodi in quibusvis tam

Novi indulti dispositio.

Apostolicis, quam Ordinariorum mensibus in quadam constitutione per eos edita, ac Principum dictæ nationis Germaniæ Concordatis, & prædecessorum nostrorum eorundem Concordatorum confirmatoriis literis expressis pro tempore vacantium, omnibus, & singulis eisdem, seu illis prorsus similibus antelationibus, prærogativis, privilegiis, derogationibus, exemptionibus, exceptionibus, declarationibus, favoribus, indultis, concessionibus, gratiis, & clausulis potirentur, & gauderent, & potiantur, & gaudeant, quibus prosequentes Preces Imperatoris præfati &c. potiri, & gaudere poterant, & debebant, ac omnibus, & singulis aliis personis &c. Et quod etiam post datam singularum priorum literarum nostrarum concessæ per præfatum Regem Preces prædictæ, & in posterum concedendæ quandocumque ex die insinuationis earundem dictis Collatoribus, & Collatricibus factæ, Beneficia Ecclesiastica sub illis comprehensa, quæ postmodum hactenus vacaverunt, & in posterum pro tempore vacabunt, & infra unius mensis spatium, postquam illorum vacatio, illis, pro quibus Preces ipsæ porrectæ fuerunt, vel in posterum porrigentur, aut eorum Procuratoribus innotuerunt, vel innotuerint in posterum per se, vel eorum Procuratores ac-

ceptata fuerunt, & acceptabuntur in futurum vigore Precum Regiarum hujusmodi eis, quibus ipsæ fuerunt pro tempore concessæ, & qui illa hactenus acceptarunt, & in posterum acceptabunt, censerentur, & censeantur affecta, adeout alteri conferri, seu aliàs de illis disponi in præjudicium Preces ipsas prosequentium nullatenus quavis Ordinaria auctoritate potuerit, sive possit, etiamsi Preces ipsæ concessæ, & quas concedi continget per ipsum Regem illis, ad quos non collatio, sed præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet, ex tunc directæ fuissent, ac in posterum dirigerentur, & super illis processus aliqui decreti non fuissent ante vacationem Beneficiorum Ecclesiasticorum sub illis comprehensorum, quæ hactenus acceptata fuerunt, potueritque, & debuerit, ac possit, & debeat quilibet in dignitate Ecclesiastica constitutus, ac Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, qui desuper ab eisdem fuerit requisitus per se, vel alium, seu alios easdem Regias Preces prosequentes postquam eis fuerit canonicè provisum in corporalem possessionem Beneficiorum acceptatorum hujusmodi, juriumque, & pertinentiarum eorundem inducere, & inductos defendere &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno &c. mil-

Declaratio prioris indulti.

Facultas data Exequutoribus.

lesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, decimo septimo kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno octavo.

XLIV. Carolus V. obtinet indultum primariarum Precum.

Maximiliano successit Carolus V. qui dicitur Germanorum patrias leges, & jura Imperii fortiter servasse. Hic statim inauguratus à Leone X. Romano Pontifice, idipsum indultum primariarum Precum assequutus est, ut narratur in indulto Clementis VII. mox exponendo.

Et quoniam anno septimo Pontificatus Clementis VII. plura dubia emerserant super primariis à Leone X. Carolo concessis, iste pro novo indulto supplicavit, quo quæstiones amputarentur: ejusque formula hæc est:

XLV. Indultum Clementis VII. Carolo V.

Clemens &c. Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum Imperatori semper Augusto. Dudum siquidem sub datum quartodecimo kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno septimo, Majestati Tuæ, cui fel. recordat. Leo Papa X. prædecessor noster, cùm post felicissimam tuam Imperii diadematis susceptionem, sibi significares summopere desiderare, personas Ecclesiasticas tibi gratas, & acceptas, gratia & munificentia tua, aliqua Beneficia Ecclesiastica consequi, ipsasque ex felici tui diadematis susceptione prædicta ma-

Preces concessæ Carolo V. à Leone X.

gis lætari posse; idem prædecessor Majestati Tuæ, quod si per Te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumlibet Beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutis super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, etiam certo tunc expresso modo qualificatis singulis personis conferendis, vel super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa reciperentur, & admitterentur, Preces porrigi, sive de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contingeret, primarias ipsi Collatores, & Collatrices, etiamsi singuli Collatores, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quam in uno Beneficio gravarentur, & ipsi Collatores, & Collatrices, ultra quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre non haberent hujusmodi Precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon pernas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquam de illis sibi canonicè provisum foret, juxta earundem Precum, aut nominationum seriem recipere, & admittere deberent, per quasdam indulsit. Nosque tam in Regnis Hispaniarum, quam in Flandria, & Comitatu Brabantiæ, & aliis locis in Germania inferiori tibi subjectis facultatem nominandi certas personas ad certa Beneficia

tunc certo modo qualificata ad collationem quorumcumque Collatorum, & Collatricum in Hispania, & Germania inferiori hujusmodi consisten. spectan. ac etiam ultra prædictas facultates nominandi personas hujusmodi, eidem Celsitudini Tuæ de ulteriori gratia etiam concessimus, & indulsimus: quod si per Te quibusvis Collatoribus, sive Collatricibus quorumlibet Beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutis super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, etiam certo tunc expresso modo qualificatis singulis personis, quæ hujusmodi Beneficiorum juxta statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus ea forent, sive indulta ipsis Ecclesiis per Sedem Apostolicam concessa, aliàs capaces essent conferendis: vel super hoc quod personæ hujusmodi ad illa reciperentur, & admitterentur Preces porrigi, sive de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit, ipsi Collatores, & Collatrices posterioribus hujusmodi Precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquam sibi de illis canonicè provisum foret, juxta earundem Precum, & nominationum seriem, reci-

pere, & admittere deberent, ac etiam tenerentur. Quodque Exequutores per Te ad hoc pro tempore deputandi per se, vel alium, seu alios Beneficia prædicta, dummodò ipsæ personæ, nisi dictæ Sedis Officiales, vel cum rigoroso examine in aliqua licita facultate graduati essent ad obtinendum Beneficia hujusmodi per diligentem examinationem Executorum prædictorum, quorum conscientias super hoc oneravimus, repertæ essent idoneæ; & Beneficia ipsa dispositioni Apostolicæ generaliter reservata non essent; ipsorumque collatio non esset juxta statuta Lateranensis Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta; nec super illis inter aliquos lis penderet indecisa, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, eisdem personis conferre, & assignare valerent, decernen. personas ipsas omnibus, & singulis in assecutione Beneficiorum hujusmodi, exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, anteferri; & dictos Executores de cognominibus, & nominibus personarum, quibus dicta Beneficia per eos conferri contigerit, ac de diebus collationum hujusmodi per Agentes Cameræ Apostolicæ, Collectores, vel Subcollectores fructuum eidem Cameræ debitorum in partibus illis pro tempore deputatos quantocitius certificare

Beneficia à Precibus exempta.

Onus Exequutoribus in dictum denunciandi Agentibus Cameræ Apostolicæ collationes.

tificare debere, per diversas nostras literas concessimus, & indulsimus, prout in nostris, & ipsius prædecessoris inde confectis literis: quorum tenores ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur præsentibus, haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Nos igitur, ut Majestas Tua tantò longè præstantioribus gratiis illustretur, quantò sancta Mater Ecclesia tua diadematis nostro ministerio susceptionis lætatur; motu proprio, & ex certa nostrâ scientia tenore præsentium volumus, quod quilibet ex personis nominatis prædictis Executores, & Subexecutores; etiamsi Presbyteri, aut Notarii existant, ad effectum nominationis de eo factæ, ac literarum prædictarum quandocumque expeditarum deputare possit, quodque Executores, vel Subexecutores prædicti Beneficia prædicta, etiamsi dispositioni Apostolicæ aliàs quam juxta constitutionem fel. record. Benedicti XII. prædecessoris nostri, quæ incipit Ad regimen, *dispositioni Apostolicæ generaliter reservata existant, & personæ nominatæ prædictæ secundum statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi fuerint, sive indulta ipsis Ecclesiis concessa, capaces, seu in ætate legitima constituti, aut de legitimo matrimonio procreati, dummodò aliàs cum*

Ampliatio prioris indulti.

F

eis fuerit canonicè dispensatum; non sint, & absque examinatione prædictorum conferre liberè possint; quodque persona nominata prædicta in assecutione prædictorum Beneficiorum, etiam dictis Cardinalibus, debeant anteferri: & Executores prædicti Agentibus Cameræ Apostolicæ, aut Collectoribus, vel Subcollectoribus certificationem hujusmodi facere nullatenus teneantur: non obstantibus præmissis, & constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; necnon omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare; cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ 20. Novembris 1530. anno septimo.

XLVI. Ferdinandus I. obtinet indultum primariarum Precum.

Sic cùm Ferdinandus frater Caroli V. in Romanorum Regem fuisset assumptus, & iste electionem suam, sicuti prædecessores fecerant, confirmari obtinuisset à Clemente VII., & dein ab eodem simile indultum primarias Preces porrigendi impetrasset; contra has primarias Preces Ferdinando donatas obstrepuere Germani: aiebant enim uno, eodemque tempore premi non potuisse Capitula, & Collatores duabus Precibus, & pro duobus Beneficiis: hanc novitatem esse, alienamque à mente Clementis, quem putabant indulsisse tantummodò, eos Ordinarios, qui executi non essent Pre-

ces Caroli Imperatoris, executioni mandare Preces Ferdinandi Romanorum Regis. Hæc Ferdinandus detulit ad Pontificem, qui solemniter declaravit intentionem suam fuisse, quod amborum Precibus eodem tempore, & pro duobus Beneficiis ab unaquaque Ecclesia parendum esset: neque excusarentur Collatores sub prætextu, quod Precistis Caroli jam contulissent, cujus declarationis Pontificiæ Breve hujuscemodi est:

Clemens &c. Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum, & Hungariæ, ac Bohemiæ Regi Illustri &c. Dum intra mentis nostræ arcana, debita consideratione, pensamus singularem Tuæ Celsitudinis fidei constantiam, & integritatem, eximiaque devotionis affectum, quibus in nostro, & Apostolicæ Sedis conspectu semper claruisti, & continuè clares; dignum, imò potiùs debitum reputamus, ut tuo intuitu operam efficacem impendamus, ut tibi grata & acceptæ, ac aliæ benemeritæ personæ in Beneficiis Ecclesiasticis provisionem percipiant congruentem. Sanè dudum sub datum videlicet xviij. kalen. Julii, Pontificatus nostri anno octavo eidem Celsitudini Tuæ post tuam felicissimam in Romani Regis electionem factam; & per nos pro universæ Christianæ Reipublicæ salute confir-

XLVII. Indultum Clementis VII. Ferdinando I.

matam, quod si per te quibusvis Collatoribus seu Collatricibus quorumlibet Beneficiorum Ecclesiasticorum, sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcunque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutis super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, etiam certo tunc expresso modo qualificatis, singulis personis, quæ hujusmodi Beneficiorum juxta statuta & consuetudines Ecclesiarum, in quibus ea forent, seu indulta ipsis Ecclesiis per Sedem eandem concessa, aliàs capaces essent conferendi: vel super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa reciperentur, & admitterentur Preces porrigi, seu de personis eisdem ad Beneficia hujusmodi nominationes fieri contingeret, ipsi Collatores & Collatrices Precibus, ac nominationibus hujusmodi parere & intendere; necnon personas ad hujusmodi Beneficia postquam de illis sibi canonicè provisum foret juxta earundem Precum & nominationum seriem recipere, & admittere deberent, ac etiam tenerentur; quodque Executores per te ad hoc pro tempore deputandi per se, vel per alium, seu alios Beneficia prædicta, dummodò ipsæ personæ, nisi ejusdem Sedis Officiales, vel cum rigoroso examine in aliqua licita facultate graduati essent, ad obtinendum Beneficia hujusmodi per diligentem examinationem Exe-

Facultas data Exequutoribus.

cutorum prædictorum, quorum conscientias oneravimus, reperta essent idonea, & Beneficia ipsa dispositioni Apostolicæ generaliter reservata non forent; eorumque collatio non esset juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta; neque super illis inter aliquos lis indecisa penderet, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eisdem personis conferre & assignare valerent: decernentes personas ipsas omnibus & singulis in assecutionē Beneficiorum hujusmodi, exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, anteferri, ac dictos Executores de nominibus, & cognominibus personarum, quibus dicta Beneficia per eos conferri contigerit, ac de diebus collationum hujusmodi per Agentes Cameræ Apostolicæ, Collectores, vel Subcollectores fructuum eidem Cameræ debitorum in partibus illis pro tempore deputatos quantocitius certificare debere, concessimus, & indulsimus, prout in nostris inde confectis literis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur præsentibus, haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Nos igitur, ut Celsitudo Tua longè præstantioribus gratiis illustretur, motu proprio, & ex certa nostra scientia tenore præsentium volumus, quod

Beneficia in indulto, excepta.

Onus Exequutoribus indictum denunciandi Ministris Cameræ collationes.

quilibet ex personis nominatis prædictis; & Subexecutores, & si Presbyteri, aut Notarii existant, ad effectum nominationis, ut præfertur, facienda quandocumque expedierit, deputari possint; quodque Executores, & Subexecutores prædicti Beneficia hujusmodi, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis fuerint, dummodò in Cathedralibus, etiam Metropolitanis Ecclesiis post Pontificales majores, aut in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi, principales non extiterint; etiamsi dispositioni Apostolicæ aliàs quam juxta constitutionem fel. recordat. Benedicti Papæ XIII. prædecessoris nostri, quæ incipit Ad regimen, *generaliter reservata existant; etiamsi ex diversis personis vacaverint, & personæ nominatæ prædictæ tempore assecutionis Beneficii, ad quod nominatæ fuerunt, aliud Beneficium in eadem Ecclesia obtinuerint; etiamsi ipsæ personæ secundum statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi fuerint, seu indulta ipsis Ecclesiis concessa, capaces, vel in ætate legitima constituti, aut de legitimo matrimonio procreati non sint; dummodò quoad hujusmodi qualitates aliàs fuerit cum eis canonicè dispensatum, etiam*

Beneficia in indulto, excepta.

quoad Beneficia in eadem Ecclesia obtinen. ea talia sint, quæ sine dispensatione Apostolica teneri consueverint; etiam absque examine prædictorum conferre liberè, & licitè possint: quodque Executores prædicti, dummodò præfati nominati hujusmodi aliàs juxta Ecclesiarum, in quibus Beneficia eis collata fuerint, statuta, ac juris dispositionem tempore assecutæ possessionis ipsorum Beneficiorum qualificati extiterint, Agentibus Cameræ Apostolicæ, aut Collectoribus, seu Subcollectoribus certificationem hujusmodi facere nullatenus teneantur: quodque Celsitudo Tua unam, & eandem personam supradictis Collatoribus, aut Collatricibus simul, vel successive nominare possit, & valeat, ita tamen, quod quamprimum persona sic nominata de aliquo Beneficio provisa fuerit, nominatio quoad alios Collatores, & Collatrices facta, ipso jure expiret. Et ne super præmissis ab aliquibus dubitari contingat, an Preces eidem Celsitudini Tuæ concessæ hujusmodi etiam in Ecclesiis, & locis, in quibus charissimo in Christo filio nostro Carolo V. Romanorum Imperatori semper Augusto fratri germano tuo similes primarias Preces concessimus, suum sortiri possint effectum: motu, scientia, & tenore præmissis etiam volumus, & decernimus, quod Collatoribus,

Conditiones indulti.

& Collatricibus Beneficiorum Ecclesiasticorum pro personis Ecclesiasticis beneficiandis à Celsitudine Tua adhuc porrectas, & pro tempore porrigendas Preces hujusmodi, etiam in eisdem Ecclesiis, & locis, in quibus idem Carolus Imperator Preces suas prædictas porrexerit, & in futurum porrigi contigerit, etiamsi illæ suum plenarium effectum consecutæ, ipsique Collatores, & Collatrices earum vigore, super collatione, seu provisione Beneficiorum aliorum gravati fuerint, sine tamen præjudicio indulti eidem Carolo Imperatori super singulis nominationibus per Sedem Apostolicam concessi, validas, & efficaces existere; suumque effectum sortiri debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si Collatores, & Collatrices præfati super aliorum receptione gravati prius minime extitissent; necnon Preces præfatas subreptionis, & obreptionis vitio, seu mentis, aut intentionis nostræ defectu, etiam ex eo, quod Collatores, & Collatrices hujusmodi super duorum, ac plurium receptione gravari minimè intenderemus quovis quæsito colore quomodolibet impediri, aut impugnari minimè posse, sicque per quoscumque Judices, etiam Cardinales præfatos, ac sacri Palatii Apostolici Auditores, tam in Romana Curia, quàm extra eam in quibus-

Exceptiones Germanorum sublatæ.

cumque causis, ac in quavis instantia earum interpretari, judicari pariter, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter interpretandi, & definiendi facultate & auctoritate: necnon ex nunc irritum decernimus, & inane, si secùs super iis à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis quæ in dictis literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die decima quinta Decembris 1521. *anno nono.*

Carolus V. subinde curis Imperii, atque mundanis desideriis se abdicans, Ferdinando laudato ejus fratri Imperium cessit. Post hunc assumptus est Maximilianus II. ejus filius, quem statim in Romanorum Regem electum, comperimus anno 1564. à Pio Papa IV. indultum pro primariis Precibus habuisse, uti literæ Apostolicæ in sequentem modum conceptæ demonstrant.

XLVIII. **Indultum Pii IV. Maximiliano II.**

Pius &c. Charissimo in Christo filio Maximiliano Regi Romanorum illustri salutem &c. Cùm post de persona tua per sacri Romani Imperii Principes Electores de consensu charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum Regis illustris in Im-

peratorem electi patris tui, electionem factam, ac per nos pro universa Christianæ Reipublicæ salute confirmatam, nobis significaveris summopere desiderare personas tibi gratas, & acceptas gratia, & munificentia, aliqua Beneficia Ecclesiastica consequi posse. Nos quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque præconiis commendari, & sublimium Principum desideria, & vota, quæ in Divini nominis, & personarum illi Clericali vinculo adstrictarum amore feruntur, & opere postmodum consequente verum deducantur in actum; ita enim dignum, vel potius debitum existimamus, ut quantum in fidei sinceritate, & devotione illibatæ Ecclesiæ Sponsæ nostræ fidelem Advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem, & Dominam Tuam recognovisti, & ad ipsius honorem, & sacri Romani Imperii decus unctionem victoriæ, & diadema etiam nostro ministerio adveniente tempore suscipere, & in eis immobilis persistere intendis; verum etiam tanquam ipsius Ecclesiæ legitimus pugil, & athleta Te adversus Schismaticorum, & Hæreticorum, Turcarum Tyranni, ac Fidei, & Christi nominis hostis insanias, & furores spiritualiter, & temporaliter armaris, & in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea

tibi favorabiliter concedamus, quæ Tuæ Celsitudini cedant ad honorem, & per quæ eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis Apostolicæ exhibitione gratiarum. Hinc est, quod Tuæ Celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate, præsentium serie eidem Celsitudini Tuæ concedimus, & indulgemus, quod si per te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum, etiam si qui, vel si quæ illi Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura, sæcularibus, vel Ordinum hujusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, & aliis quibusvis Ecclesiis, etiamsi Beneficia hujusmodi, Canonicatus, & Prabendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsæ Prabendæ in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Prabendæ esse noscuntur; etiamsi majores fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujus-

modi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorundem Collatorum & Collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur Preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit, primarias iidem Collatores & Collatrices, salvo, quod singulæ collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quàm in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores & Collatrices, saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi Precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquàm ipsis de illis canonicè provisum fuerit, juxta earundem Precum, aut nominationum tenorem recipere, & admittere debeant, ac teneantur &c. Quodque quicumque quibusvis in dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici, singuli videlicet in illis, quas pro singulis personis prædictis Precum & nomina-

tionum hujusmodi, & ad hoc, ut illæ sortiantur effectum, etiam præsentium Executores deputaveris per se, vel alium, seu alios Beneficia prædicta, cùm in quibusvis etiam Ordinariis Collatoribus per constitutiones nostras, aut literas alternativas, aliaque privilegia, & indulta quæcumque quomodolibet concessis, & in posterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, & quæ personæ, pro quibus Preces, & nominationes hujusmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi Preces, sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda; etiamsi ipsa Beneficia dispositioni Apostolicæ aliàs quàm per constitutionem fel. recordat. Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri, quæ incipit Ad regimen, *generalem, reservata existant &c. ac ipsorum vacantium Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem præfatam legitimè devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa &c. Non obstantibus nostris de non utendo gratia expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione, ac publicatione, & diligentiis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem Ordinariorum Collatorum, necnon expe-*

Beneficia in indulto excepta.

ctativas in forma pauperum habentium, ac illustrium, & graduatorum, ac Sedis prædictæ Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in Cancellaria Apostolica quandocumque publicatis, & publicandis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint, statutis, & consuetudinibus &c. Quodque de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim, vel divisim spectantibus, nulli valeat provideri per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem &c. necnon Concordatis nationis Germanicæ, ac eorundem Concordatorum confirmatione, ac prædictis, & quibuscumque aliis quandocumque editis, & edendis constitutionibus, & regulis nostris, & dictæ Cancellariæ, ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam, vel satisfactionem, seu observantiam, habentes Preces, seu nominationes hujusmodi minimè teneantur, nec ipsæ Preces sub illis comprehendantur quoquo modo, necnon quibusvis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, & quibusvis gratiis expectativis spe-

Derogatio concordatis.

tialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis, & temporalibus nominationibus; ac reservandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominandi, & aliis conferendi, commendandi, supprimendi, extinguendi, aliisque citra accessus, & regressus de consensu, facultatibus, literis, mandatis, & indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, commendis, & aliis dispositionibus ex tunc, & gratiis quibusvis personis cujuscumque dignitatis, status, ordinis, gradus, vel conditionis existentibus, & quacumque Imperiali, Regali, Ducali, sive Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori auctoritate, praeminentia, nobilitate, & excellentia &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, quarto idus Julii, Pontificatus nostri anno quinto.

XLIX. Indultum Gregorii XIII. Rodulpho II.

Rodulphus II. Maximiliani filius & successor, uti prædecessores sui fecerant, indultum simile obtinuit à Gregorio XIII. quod tale est :

Gregorius Episcopus &c. Charissimo in Christo filio Rodulpho Romanorum Regi illustri in Imperatorem electo salutem,

& Apostolicam benedictionem. Cùm post factam de persona tua per sacri Romani Imperii Principes Electores de consensu clar. mem. Maximiliani Romanorum Regis in Imperatorem electi Patris tui tunc in humanis agentis, in Regem Romanorum electionem, ac per nos pro universæ Christianæ Reipublicæ salute confirmatam nuper Nobis significaveris, Te summopere desiderare personas tibi gratas, & acceptas gratia, & munificentia, aliqua Beneficia Ecclesiastica consequi posse; Nos quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque præconiis commendari, & sublimium Principum desideria, & vota, quæ in Divini nominis, & personarum illi Clericali vinculo adstrictarum amore feruntur, & opere postmodùm consequente, tutum deducantur in actum; ita enim dignum, vel potiùs debitum existimamus, ut quoniam in fidei sinceritate, & devotione illibatæ Ecclesiæ Sponsæ nostræ fidelem Advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem & Dominam tuam recognovisti, & ad ipsius honorem, & sacri Romani Imperii decus unctionem victoriæ, & diadema etiam nostro ministerio advenienti tempore suscipere, & in eis immobilis persistere intendis; verum etiam tanquam ipsius Ecclesiæ legitimus pugil, & athleta

athleta Te adversus Schismaticorum, & Hæreticorum, Turcarum Tyranni, ac Fidei, & Christi nominis hostis insanias, & furores spiritualiter, & temporaliter armaris, & in dies arma hujusmodi jugiter exequeris; ea tibi favorabiliter concedamus, quæ Tuæ Celsitudini cedant ad honorem, & per quæ eisdem benemeritis personis Te munificum reddere possis ope auctoritatis Apostolicæ exhibitione gratiarum. Hinc est, quod Tuæ Celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate præsentium serie eidem Celsitudini Tuæ concedimus, & indulgemus, quod si per Te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum; etiam si qui, vel si quæ Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint, super singulis beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura sæcularibus, vel Ordinum hujusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, & aliis quibusvis Ecclesiis, etiamsi Beneficia hujusmodi, Canonicatus, & Præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem Cathedralibus, etiam Me-

tropolitanis, vel Collegiatis &c. vel officia hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura animarum immineat, dummodò dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant; ad eorundem Collatorum, & Collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinen. singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur, Preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit, primarias iidem Collatores, & Collatrices, salvo quod singulæ collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quam in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores, & Collatrices, saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi Precibus, & nominationibus parere, & intendere; necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit, juxta earundem Precum, aut nominationum tenorem recipere, & admittere debeant, & etiam teneantur &c. Quodque quicumque quibusvis in dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici singuli; vide-

licet in illis, quos pro singulis personis prædictis Precum, & nominationum hujusmodi, & ad hoc ut illæ sortiantur effectum, etiam præsentium Executores deputaveris per se, vel alium, seu alia Beneficia prædicta cùm in quibusvis etiam Ordinariis Collatoribus per constitutiones nostras, aut literas alternativas, aliaque privilegia, & indulta quæcumque quomodolibet concessa, & in posterum concedenda, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint; & quæ personæ, pro quibus Preces, & nominationes hujusmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi Preces, sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda; etiamsi ipsa Beneficia dispositioni Apostolicæ aliàs quam per constitutionem fel. recordat. Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri, quæ incipit Ad regimen, *generaliter reserva-ta existant, & ex diversis personis vacaverint, & personæ nominatæ prædictæ tempore assecutionis Beneficii, ad quod nominatæ fuerint, aliud Beneficium in eadem Ecclesia obtineant, & secundùm statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi constiterint, vel indulta Ecclesiis concessa, capaces videlicet in ætate legitima constitutæ, aut de legitimo ma-*

Beneficia exempta ab indulto.

trimonio procreatæ non sint, dummodò quoad hujusmodi qualitates, aliàs cum eis canonicè dispensatum, & Beneficia in eadem Ecclesia obtinenda talia sint, quæ sine dispensatione Apostolica insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranensis statuta Concilii, ad Sedem prædictam legitimè devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, personis ipsis etiam, duo vel tria, seu plura cujuscumque qualitatis, & cujuscumque annui valoris Ecclesiastica Beneficia obtinentibus, & expèctantibus conferre, & assignare; necnon omnia, & singula quæ ad hoc, ut Precum, seu nominationum, & acceptationum, ac collationum hujusmodi succedant effectus, opportuna fuerint facere auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam exequi possint, & valeant &c. Non obstantibus nostris de non utendo gratia expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione, ac publicatione, ac diligentiis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem Ordinariorum Collatorum, necnon expectativas in forma pauperum habentium, ac illustrium, & graduatorum, ac Sedis prædictæ Officialium, ac

Derogatio regulis Cancellariæ, & concordatis.

certas inibi expressas gratias habentium; necnon quibuscumque in Cancellaria Apostolica quandocumque publicatis, & publicandis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmod forsan fuerint, statutis, & consuetudinibus; illis præsertim quibus in Ecclesiis, in quibus majores, & minores Præbendæ hujusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi majorem Præbendam majore assequi valeat, nisi illam de minore gradatim, & per optionem ascendat, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscumque &c. Necnon Concordatis nationis Germanicæ, ac eorundem Concordatorum confirmatione, ac prædictis, & quibuscumque aliis quandocumque editis, & edendis constitutionibus, & regulis nostris, & dictæ Cancellariæ, ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam, vel satisfactionem, seu observantiam habentes Preces, seu nominationes hujusmodi minime teneantur, nec ipsæ Preces sub illis comprehendantur quoquo modo, necnon quibusvis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, & quibusvis gratiis expectativis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, unionibus, an-

nexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis, & temporalibus, nominationibus, ac reservandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominandi, & aliis conferendi, commendandi, supprimendi, & extinguendi, aliisque circa accessus, & regressus de consensu facultatibus, literis, mandatis, & indultis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, tertio decimo kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

L. Indultum Pauli V. Matthiæ Imperatori.

Rodulpho successit Matthias, quanquam nondum coronatus obierit: quem a Paulo V. id ipsum indultum obtinuisse patet ex literis Apostolicis in hunc modum exaratis:

Paulus Episcopus servus servorum Dei. Charissimo in Christo filio Matthiæ Romanorum Regi illustri in Imperatorem electo salutem. Cùm post factam de persona Tua per sacri Romani Imperii Principes Electores in Regem Romanorum electionem, ac per nos pro universæ Christianæ Reipublicæ salute confirmatam, nuper nobis significaveris te summopere desiderare personas tibi gratas, & acceptas gratia, & munificentia, aliqua Beneficia Ecclesiastica consequi posse; Nos quemadmodum magnis me-

rentur efferri laudibus, insignibusque præconiis commendari, sublimium Principum desideria, & vota, quæ in Divini nominis, & personarum illi Clericali vinculo adstrictarum amore feruntur, & opere postmodum consequente tutum deducantur in actum; ita etiam dignum, vel potius debitum existimamus, ut quoniam in fidei sinceritate, & devotione illibatæ Ecclesiæ Sponsæ nostræ te fidelem Advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem, & Dominam Tuam recognovisti, & ad ipsius honorem, & sacri Romani Imperii decus unctionem victoriæ, & diadema etiam nostro ministerio adveniente tempore suscipere, & in eis immobilis persistere intendis; verum etiam tanquam ipsius Ecclesiæ legitimus pugil, & athleta Te adversus Schismaticorum, & Hæreticorum, Turcarum Tyranni, ac Fidei, & Christi nominis hostium insanias, & furores spiritualiter, & temporaliter armaris, & in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea tibi favorabiliter concedamus, quæ Tuæ Celsitudini cedant ad honorem, & per quæ eisdem benemeritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis Apostolicæ exhibitione gratiarum. Hinc est, quod Tuæ Celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate, præsentium serie eidem

Celsitudini Tuæ concedimus, & indulgemus, quod si per te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum, etiam si qui, vel si quæ Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, sæcularibus, vel Ordinum hujusmodi Regularibus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, & aliis quibusvis Ecclesiis, etiamsi Beneficia hujusmodi, Canonicatus, & Prabendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsæ Prabendæ in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Prabendæ esse noscuntur; etiamsi majores fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorundem Collatorum & Collatricum collationem, provisionem, præ-

Beneficia excepta.

sentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur Preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit, primarias iidem Collatores & Collatrices, salvo, quod singulæ collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quàm in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores & Collatrices, saltem quatuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi Precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquàm ipsis de illis canonicè provisum fuerit, juxta earundem Precum, aut nominationum tenorem recipere, & admittere debeant, & etiam teneantur &c. Quodque quicumque quibusvis in dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici, singuli videlicet in illis, quas pro singulis personis prædictis Precum & nominationum hujusmodi, & ad hoc, ut illæ sortiantur effectum, etiam præsentium Executores deputaveris per se, vel alium, seu alios Beneficia prædicta, cùm in quibusvis etiam Ordinariis Collatoribus per constitutiones nostras, aut literas alternativas, aliaque privilegia, & indulta quæcumque quo-

modolibet concessis, & in posterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, & quæ personæ, pro quibus Preces, & nominationes hujusmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi Preces, sive nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda; etiamsi ipsa Beneficia dispositioni Apostolicæ aliàs quàm per constitutionem fel. recordat. Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri, quæ incipit Ad regimen, *generaliter reservata existant, & ex diversis personis vacaverint &c. dummodo quoad hujusmodi qualitates aliàs cum eis canonicè dispensatum, & Beneficia in eadem Ecclesia obtinenda talia sint, quæ sine dispensatione Apostolica insimul obtineri possint aut consueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranensis statuta Concilii, ad Sedem prædictam legitimè devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa, conferre, & assignare &c. ac personis prædictis, pro quibus hujusmodi primarias Preces porrigi, seu nominationes fieri contigerit, quod ipsæ expectativis, ac nominationibus, seu specialium reservationum de quibusvis Beneficiis pro eis factarum gratiis, & mandatis de providendo ipsis de eisdem, si quæ ipsis*

Beneficia excepta.

concessa fuerint unà cum gratia Precum, & nominationum primariarum earundem uti possint, nec aliqua gratiarum hujusmodi consumpta, reliquæ earundem cassæ censeantur, vel irritæ, indulgemus. Non obstantibus nostris de non utendo gratia expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione, ac publicatione, & diligentiis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem Ordinariorum Collatorum, necnon expectativas in forma pauperum habentium, ac illustrium, & graduatorum, ac Sedis præfatæ Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in Cancellaria Apostolica quandocumque publicatis, & publicandis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint, statutis, & consuetudinibus; illis præsertim, quibus in Ecclesiis, in quibus majores, & minores Præbendæ hujusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi majorem Præbendam majore assequi valeat, nisi illam de minori gradatim, & per optionem ascendat juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis contrariis quibuscumque &c. necnon Concordatis nationis Germanicæ, ac eorundem Concordatorum

Derogatio regulis Cancellariæ, & concordatis.

confirmatione, ac prædictis, & quibuscumque aliis quandocumque editis, & edendis constitutionibus, & regulis nostris, & dictæ Cancellariæ, ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam, vel satisfactionem, seu observantiam, habentes Preces, seu nominationes hujusmodi minimè teneantur, nec ipsæ Preces sub illis comprehendantur quoquo modo, necnon quibusvis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, & quibusvis gratiis expectativis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis, & temporalibus nominationibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo duodecimo kalend. Martii, Pontificatus nostri anno octavo.

LI. Indultum Ferdinando II. à Paulo V. concessum.

Matthiæ successit Ferdinandus II., cujus indultum primariarum Precum à Paulo V. impetratum non refero, cùm illud ediderit, & scholiis illustraverit Joannes Chockier post Commentaria in regulas Cancellariæ. Ferdinandi II. successor, Ferdinandus III. apud Urbanum VIII. anno 1638. statim ac in Romanorum Regem assumptus fuit, & à Papa confirmatus, institit pro indulto primariarum Precum,

illudque obtinuit, quemadmodum sequentes literæ Apostolicæ in hunc modum exaratæ probant:

LII. Indultum Urbani VIII. Ferdinando III.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei. Charissimo in Christo filio Ferdinando Romanorum Regi illustri in Imperatorem electo salutem &c. Cùm post factam de persona tua per sacri Romani Imperii Principes Electores de consensu clar. mem. Ferdinandi II. Romanorum Regis in Imperatorem electi Patris tui tunc in humanis agentis, in Regem Romanorum electionem, ac per nos pro universæ Christianæ Reipublicæ salute confirmatam nuper Nobis significaveris, Te summopere desiderare personas tibi gratas, & acceptas gratia, & munificentia, aliqua Beneficia Ecclesiastica consequi posse; Nos quemadmodum magnis merentur efferri laudibus, insignibusque præconiis commendari, & sublimium Principum desideria, & vota, quæ in Divini nominis, & personarum illi Clericali vinculo adstrictarum amore feruntur, & opere postmodùm consequente, tutum deducantur in actum; ita etiam dignum, vel potiùs debitum existimamus, ut quoniam in fidei sinceritate, & devotione illibatæ Ecclesiæ Sponsæ nostræ te fidelem Advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem & Dominam tuam

recognovisti, & ad ipsius honorem, & sacri Romani Imperii decus unctionem victoriæ, & diadema etiam nostro ministerio adveniente tempore suscipere, & in eis immobilis persistere intendis; verum etiam tanquam ipsius Ecclesiæ legitimus pugil, & athleta Te adversus Schismaticorum, & Hæreticorum, Turcarum Tyranni, ac Fidei, & Christi nominis hostium insanias, & furores spiritualiter, & temporaliter armaris; & in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea Tibi favorabiliter concedamus, quæ Tuæ Celsitudini cedant ad honorem, & per quæ eisdem benemeritis personis Te munificum reddere possis ope auctoritatis Apostolicæ exhibitione gratiarum. Hinc est, quod Tuæ Celsitudinis supplicationi inclinati, dicta auctoritate præsentium serie eidem Celsitudini Tuæ concedimus, & indulgemus, quod si per Te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, vel Regularium Ordinum quorumcumque per sacrum Romanum Imperium ubilibet constitutorum, etiam si qui, vel si quæ Pontificali, vel alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint super singulis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura sæcularibus, vel Ordinum hujusmodi Regulari-

bus in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, & aliiis quibusvis Ecclesiis, etiamsi Beneficia hujusmodi, Canonicatus, & Præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, & ipsæ Præbendæ in illis ex hujusmodi Ecclesiis, in quibus majores, vel minores Præbendæ esse noscuntur, etiamsi majores fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodò dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales majores, aut Collegiatis hujusmodi principales non existant, ad eorumdem Collatorum, & Collatricum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim pertinentibus singulis personis conferendis, seu super hoc, quod personæ hujusmodi ad illa recipiantur, & admittantur, Preces porrigi, seu de personis eisdem ad hujusmodi Beneficia nominationes fieri contigerit, primarias iidem Collatores & Collatrices, salvo quod singulæ Collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quàm in uno Beneficio non graventur, ac ipsi Collatores & Collatrices saltem qua-

tuor Beneficia Ecclesiastica conferre habeant, hujusmodi Precibus, & nominationibus parere, & intendere, necnon personas ipsas ad hujusmodi Beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit, juxta earundem Precum, aut nominationum tenorem recipere, & admittere debeant & etiam teneantur. Quodque quicumque quibusvis in dignitatibus constituti, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonici singuli, videlicet in illis, quos pro singulis personis prædictis Precum & nominationum hujusmodi, & ad hoc, ut illæ sortiantur effectum, etiam præsentium Executores deputaveris, per se, vel alium, seu alios, Beneficia prædicta, cùm in quibusvis etiam Ordinariis Collatoribus per constitutiones nostras, aut literas alternativas, aliaque privilegia, & indulta quæcumque quomodolibet concessis, & in posterum concedendis, aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, & quæ personæ, pro quibus Preces & nominationes hujusmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi Preces seu nominationes ad illa se extendant, infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptanda; etiamsi ipsa Beneficia dispositioni Apostolicæ, aliàs quàm per constitutionem fel. record. Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri, quæ incipit Ad regimen, *generaliter reservata existant,*

Beneficia excepta.

stant, & ex diversis personis vacaverint, & personæ nominatæ prædictæ tempore assecutionis Beneficii, ad quod nominatæ fuerint, aliud Beneficium in eadem Ecclesia obtineant, ac secundùm statuta & consuetudines Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi constiterint, vel indulta Ecclesiis concessa, capaces, videlicet in ætate legitima constitutæ, aut de legitimo matrimonio procreatæ non sint; dummodò quoad hujusmodi qualitates aliàs cum eis canonicè dispensatum, & beneficia in eadem Ecclesia obtinen. talia sint, quæ sine dispensatione Apostolica insimul obtineri possint, aut consueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta, neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa &c. Non obstantibus nostris de non utendo gratia expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratiis insimul, ac de insinuatione, & publicatione, & diligentiis per acceptantes desuper facien., ac in favorem Ordinariorum Collatorum, necnon expectativas in forma pauperum habentium, ac illustrium, & graduatorum, ac Sedis prædictæ Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in Cancellaria Apostolica quando-

Beneficia exȩcepta.

Derogatio regulis Cancellariæ, & concordatis

cumque publicatis, & publicandis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint statutis, & consuetudinibus &c. necnon Concordatis nationis Germanicæ, ac eorundem Concordatorum confirmatione, ac prædictis, ac quibuscumque aliis quandocumque editis, & edendis constitutionibus, & regulis nostris, & dictæ Cancellariæ, ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam, & satisfactionem, seu observantiam habentes Preces, seu nominationes hujusmodi minime teneantur, nec ipsæ Preces sub illis comprehendantur quoquo modo, necnon quibusvis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, & quibusvis gratiis expectativis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis, & temporalibus, nominationibus, ac reservandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominandi, & aliis conferendi, commendandi, supprimendi, & extinguendi, aliisque citra accessus, & regressus de consensu, facultatibus, literis, mandatis, & indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, commendis, & aliis dispositionibus ex tunc, & gratiis quibusvis personis cujuscumque

dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, & quacumque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, sive Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori auctoritate, praeminentia, nobilitate, & excellentia, ac etiam Cardinalatus honore fungentibus, & familiaribus continuis commensalibus nostris, etiam descriptis, & antiquis, & in eorum, ac Ecclesiarum etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, & principalium Monasteriorum, mensarum, Capitulorum, dignitatum, & aliorum Beneficiorum quorumcumque cum cura, & sine cura, secularium, & quorumvis Ordinum Regularium, Locorum piorum, Universitatum, studiorum, & aliorum quorumcumque &c. Datum Romæ, apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, duodecimo kalendis Decembris, Pontificatus nostri anno sexto-decimo.

LIV. Imperatores per ducentos annos agnoscunt necessitatem indulti Apostolici.

Hæc est verissima facti historia, ab Acatholicis scriptoribus forsan ignorata, vel studio neglecta, ex qua plura argumenta, quæ hanc rem manifestiorem faciunt, educuntur; quippe si post Concordata jam dicta spatio ducentorum & amplius annorum, tot tantique Imperatores ejusmodi indultum à Pontificibus

Romanis impetrarunt, eoque usi sunt, & Preces diversas ab antiquis direxerunt, mentionem facientes confirmationis Pontificiæ, quis non videt ipsos Augustissimos Imperatores, Germanosque omnes spatio tanti temporis agnovisse necessitatem indulti Summi Pontificis, & consuetudinem hanc esse, ut sine Pontificio indulto, neque parerent Imperialibus Precibus Ordinarii, aut Capitula Germaniæ, neque Imperatores eas dirigerent, aut dirigere se posse putarent.

LV. Heterodoxorum responsa.

Hoc argumento exagitati Acatholici scriptores, qui ad potestatem summi Ecclesiæ Pastoris imminuendam, omnem lapidem semper moverunt scriptis dictisque, ut laicis Principibus etiam Ecclesiastica jura attribuerent, ita respondent per os Ahassueri Fritschii: *Nihil refragatur, quod Imperatores ipsi in suis primariarum Precum diplomatibus Apostolicæ auctoritatis, & Pontificiæ confirmationis mentionem faciant; quamvis enim fortè negari nequeat, hodie Imperatores absque Pontificis approbatione primarias Preces non exercere, uti etiam ex Gailio, Paurmeistero, Stephano, & aliis monet Lampadius de Republic. Roman. German. par. 3. cap.* 11. §. 46., *dici tamen potest cum Klockio cons.* 4. *num.* 23., *quem à se re-*

latum sequitur Stamlerus de reservat. Imperat. §. 51. *num.* 3., *confirmationem illam Pontificiam abundantioris cautelæ, civilitatis magis, quam cujusdam necessitatis intuitu ab Imperatoribus impetrari, quo scilicet eo faventiores sibi nanciscantur Capitulares, quorum plurimi reperiuntur, in quorum animis non nihil plenius Pontificia illa majestas radices egit.* Hæc Fritschius tract. de Jur. primar. Prec. cap. 2. num. 36. & seqq. Besold. etiam Thesaur. practicab. par. 2. verb. Primariæ Preces pag. mihi 147. ad fin. sic: *Licet autem hodie Imperatores pro ea, qua sunt in Summos Pontifices affectione, jus illud ipso jure ex inveterata consuetudine Imperii Pontificia confirmatione roboratum esse dicant, ea tamen officii, & civilitatis causa prolata verba juri Cæsaris, & Imperii nihil derogant; translatitium enim est, confirmationem etiam ab eo factam, qui jus confirmandi habet, actui per se perfecto nihil novi dare.* Scuederus libello de introduct. in jus public. Imper. Roman. Germanic. part. special. sect. 1. cap. 5. num. 15. pag. 233. in hæc verba: *Quidam enim primarias Preces Imperatori nostro, ex Pontificis Romani concessione, & indulto competere volunt, quorum antesignanus Speculator, qui privilegium bulla-*

tum se vidisse testatur. Hunc ideò sequuntur Joann. Andr. Boer. decis. 32. num. 8., Restaur. Castald. de Imperat. quæst. 100. num. 14. & seqq., Gail. 2. observ. 155. in fin., Stephan. de jurisd. lib. 2. par. 1. cap. 1. membr. 1. num. 116., Rumel. ad A. B. par. 1. D. 4. Thesaur. 16., Lampad. par. 3. cap. 11. num. 47., & hoc ipsi Imperatores Rudolphus 2. & Ferdinandus 2. in concessionum formulis apud Paurmeister. de jurisdict. lib. 1. cap. 11. num. 48. fateri videntur. Alii verò hoc jus Imperatoribus intuitu Advocatiæ, sive universalis protectionis Ecclesiarum competere tradunt. Sed verissima est illorum sententia, qui primarias Preces tenues antiqui juris Cæsarei, circa sacra, collationem Episcopatuum, Abbatiarum, aliorumque Beneficiorum, reliquias esse, & Imperatoribus per continuatum ad tempora nostra exercitium mansisse, contendunt; quam nostram quoque proinde facimus, existimantes primariarum Precum natales canonica illa dignitate longe antiquiores esse, & in concessionibus Imperatorum Pontificiæ auctoritatis, aut approbationis mentionem fieri, abundantioris saltem cautelæ gratia ex civilitate magis, quam necessitatis intuitu; quo scilicet Pontificiis, qui omne illud jus soli Pontifici competere per-

suasi sunt contra rescripta Imperatoria excipiendi ansa eximatur. Fritschio concinit Vitriarius de Instit. jur. public. Roman. Germanic. lib. 3. tit. 2. pag. 55. & 56. num. 9. ubi differit in hunc modum : *Innocentius X. in Bulla ita loquitur de his primariis Precibus, quasi illæ soli suæ liberalitati debeantur; sed licet negari non possit, à Papa solere jam aliquandiu tale quid Cæsaribus concedi; tamen hoc jus Cæsareum niti solis Papalibus concessionibus, neutiquam est admittendum; nam antea plurima jam sæcula Cæsares hoc jure usi sunt, non agnoscentes hoc esse donum aliquod Papale, sed ex antiqua consuetudine tale sibi deberi ratione suæ coronationis; quinimmò hæc potius tenues sunt reliquiæ antiqui juris Cæsarei circa collationem Episcopatuum, Abbatiarum, aliorumque Beneficiorum; ut ita licet Imperatores hoc jus hodie, ut Beneficium à Pontifice agnoscant, uti clarissimè hoc patet ex formula, qua Paulus V. Papa Ferdinando II. hoc jus indulsit; item ex concessione hujus juris, quæ facta est ab Innocentio X. Ferdinando III.* (mendose tamen, scilicet Urbano VIII.) *ubi, inter alia, Summus Pontifex ita loquitur : Precumque primariarum eidem Ferdinando in Imperatorem electo à præfata Sede*

Apostolica concessarum, ad jura majestatis sit referendum. Et in adnotatione lit. A. ita scribit : *Rationes eorum; prima, quod Pontifici circa sacra, & res Ecclesiasticas suprema competat potestas; secunda, in Concordatis Germaniæ Nicolaus V. collationes omnium Beneficiorum vacantium Ecclesiæ sibi reservavit; tertia, Rudolphus II. & Ferdinandus II. in concessionum formulis ex inveterata consuetudine, Apostolica auctoritate confirmata hoc jus dependere agnoverint. Rectiùs docet Fritschius, qui illud reliquias pristini Imperatorum juris circa sacra, quæ Henricus V. Pontifici cessit. Ad opposita respondendum; primò, Pontifici proprie loquendo jurisdictionem Ecclesiasticam non aliter vindicandam esse, quàm in quantum Cæsares tacente Imperio ipsis eam reliquerint; quod de primariis Precibus dici nequeat, cùm de illis inter Cæsares, & Papas nunquam convenerit; secundò, Fridericum III. per Concordata juribus Imperii præjudicare non potuisse, deficiente Imperii totius consensu, præter quod de quæstionis jure nec jota in favorem Pontificis ibi reperiatur; tertiò, Phrases Rudolphi, & Ferdinandi II. de confirmatione Papali nihil involvere contrarii, utpote non necessitatis, sed captanda tantum eo facilius Capitulorum benevo-*

lentiæ gratia adjectas. Et num. 8. in adnotat. lit. C. in fin. videns laico Principi non posse competere sub specie Precum jus compellendi, ita respondet: *Appellationis interim latinæ ratio à literis commendatitiis desumpta penitùs absurda mihi non videtur, quoniam Imperator non mandantis, sed intercedentis, petentis, & commendantis stylo utitur*: in quo sane palmariter errat, cùm ex formula Precum in principio exhibita pateat, Augustissimum Imperatorem non commendantis, sed præcipientis, & cogentis, ac multantis personam induere. Per totidem verba loquitur Joannes Mayer. tract. de jur. primar. Prec. pag. mihi 65. §. Licet autem, & seqq.

LVI. Imperatores post concordata usi non sunt primariis Precibus sine indulto Pontificio.

Hoc pacto scriptores heterodoxi se satisfacere arbitrantur argumento superius relato. At ex verbis jam adductis negare ausi non sunt, quod Imperatores non consueverint, præsertim post Concordata, primariis Precibus uti sine auctoritate indulti Pontificii, quodque has Preces recognoverint tanquam Beneficium, & donum Papale: quæ Acatholicorum confessio ostendit, oscitanter recurri ad antiquiorem consuetudinem, dum præsens status rerum, & facta positiva Imperatorum spatio duorum sæcu-

lorum, & ultrà, ex confessione ipsa scriptorum Sedi Apostolicæ infensorum, probat consuetudinem contrariam, per quam Imperatores id jus, tanquam ipsis à Pontificibus Romanis ex speciali gratia concessum, agnoverunt.

LVII. Heterodoxi scriptores confutati. Verum quam à recto aberraverint prædicti Acatholici scriptores, statim ex sequentibus patebit: quippe ex superius adductis constat id jus primariarum Precum, complectens mandata de providendo vacatura, atque jus cogendi Ordinarios ad conferendum Precistæ, & Capitula ad eligendum eundem, nequaquam competiisse, vel de jure competere posse Imperatoribus sine Apostolica auctoritate; ergo indultum Papale, & consuetudo Papali auctoritate roborata, & expressa in Precibus Imperialibus spatio ducentorum annorum non potuerunt adhiberi ad cautelam, & ex civilitate, uti aiunt Acatholici, sed ex necessitate. Si item ipsimet Acatholici fatentur id factum fuisse, ne Ecclesiastici repugnarent parere, jam admittunt Germanos Ecclesiasticos ejus fuisse opinionis, ut sine Pontificia auctoritate Precibus obtemperare non tenerentur. Insuper ex jam relatis patuit in omnibus indultis fuisse à Summis Pontificibus derogatum expresse

Concordatis Germaniæ, & Germanos non obstante indulto Papæ Preces sprevisse, quod dicerent Concordata repugnare, neque illis derogatum fuisse, uti contigisse narravimus Friderico. Præterea Imperatores Preces direxerunt suffulti indulto Papali; Germani Ecclesiastici repugnarunt Preces exequi, opponentes, post indultum à Papa latas fuisse leges indulto contrarias, vel Papam alias direxisse expectativas, vel bis gravari non potuisse Precibus; vel Precistas non implevisse formam indulti, aut vivente Imperatore, filio in Regem Romanorum electo indultum dari non potuisse. Videndum quid Imperatores egerint. Dicet fortè aliquis, eos coëgisse ad Precibus parendum usos jure suo, & consuetudine inveterata suffultos; minis, & præceptis obstrepuisse, & clamasse contra Pontifices, qui leges contrarias Precibus promulgaverant, vel formam contra jus Imperii à Precistis servandam præscripserant: hæc siquidem fecissent Imperatores, si ex civilitate, & ad cautelam indulta impetrassent. Et tamen apparet exemplis Friderici, Maximiliani, & Ferdinandi superius adductis eos hæc non egisse; immò Pontificibus supplicasse ad exceptiones Germanorum amputandas

iterùm indulgere, ut non obstantibus Concordatis, regulis Cancellariæ recenter editis, & forma, ac conditionibus in indultis expressis, seu expectativis ab ipsis concessis, Preces Imperiales omninò exequerentur, quod palam denotat Imperatores agnovisse id indultum necessarium, & Germanos putasse ab his Papalibus indultis Precum exequutionem pendere, & Preces primarias esse donum Pontificium, uti jam dicti Acatholici opinionem Imperatorum, & Germanorum pensantes, admittunt.

LVIII. **Primariæ Preces donum Pontificium.**

Non parum hæc firmantur per reservationes in indultis jam transcriptis à Summis Pontificibus semper factas; nam in illis Pontifices exceperunt ab Imperialibus Precibus Beneficia reservata in extravag. *Ad regimen*, *de Præbend.* primas dignitates, Beneficia devoluta, & litigiosa, quæ sibimetipsis juxta formam regularum Cancellariæ reservaverunt: quod probat primarias Preces fuisse donum Pontificium pendens à conditionibus à Papa adjectis. Et sane id indultum Imperatores tandiu non acceptassent cum dictis conditionibus, si proprio jure, & indistinctè Preces ex consuetudine porrigere valuissent, cùm tamen constet Precistas nunquam primas dignitates,

vel Beneficia in indulto Papæ reservata, assecutos. Quod & probat obligatio in indultis Nicolai V. Calixti III. & successorum adjecta Executoribus harum Precum à Cæsare deputatis in vim facultatis in indultis concessæ, ut scilicet ii Subcollectoribus Apostolicis illarum partium notas redderent collationes factas vigore Precum relatarum, & Subcollectores Cameræ Apostolicæ valerent à provisis exigere annatas, & medias annatas, ac jura Cameræ Apostolicæ, quod ostendit eas provisiones reputatas, utpote factas à Sede Apostolica, à qua jus Precum procedebat. Id ipsum evincit constans mos Precistarum, qui ut cogerent Capitula, vel Ordinarios, vel compescerent ab iisdem provisos, aut electos, ad Romanæ Curiæ tribunalia confugerunt, & in Romanæ Rotæ Auditorio litigantes, solas Preces Imperiales non allegarunt, sed indultum Papale, & de ejus interpretatione disseruerunt. Sic factum esse constat ex decisione Crescentii 3. de præbend. ubi vis indulti Clementis VII. Carolo V. dati in dubium vocata est; necnon ex decisione Seraphini 728. ubi disputatum de indulto à Pio IV. Ferdinando concesso; ex decis. Coccin. 1096. & 1097. ubi de indulto Pauli V.

Ferdinando II. dato: ex decis. Cavalet. 614. ubi de indulto ab eodem Pontifice Matthiæ Imperatori concesso; atque ex decis. 976. Amati Dunozett. ubi de indulto ab Urbano VIII. Ferdinando III. donato, de cujus etiam interpretatione actum fuit in decis. 634. Card. Cerr.; in decis. 3. & 5. Joannis Emerix; & in Leodien. Scholastriæ 4. Julii 1646. coram Verospio; & apud sacram Congregationem Concilii in Cameracen. relata à Fagnano in cap. *Nulla* de concess. præben., & in pluribus aliis, quas consultò omitto. Itidem in indultis Nicolai V. Calixti III. & successorum cavetur expresse, quod provisiones Beneficiorum in vim Precum hujuscemodi faciendæ publicari deberent eodem modo, quo publicari edixerant Pontifices gratias expectativas, addita pœna nullitatis in casu contrario: quam sane conditionem irritantem Preces ipsas non acceptassent Imperatores, si Preces ab Imperiali jure profluxissent, & indulta solum ad aucupandum animos Ecclesiasticorum Germaniæ, impetrata fuissent.

LIX. *Vis Precum ab auctoritate Pontificia pendere sem-*

Ex his arguitur tam Imperatores, quam cœtum Ecclesiasticorum Germaniæ, immò & ipsos Precistas spatio duorum sæculorum, & ultra putasse omnem vim

harum Precum ab auctoritate Pontificia pendere: quæ communis opinio universi Imperii, & ipsorum Imperatorum palam etiam facta Acatholicis scriptoribus, qui eam negare ausi non sunt, prævalet procul dubio salebrosis responsionibus eorundem, qui videntur nodum in scirpo quærere: quamquam fatear aliquid eis condonandum, cum iis integra hujus rei historia haud innotuerit. His positis, inane prorsus est asserere, id jus fuisse Imperatorum, iisque datum tanquam reliquias majoris juris, quod Henricus V. in aurea Bulla remisit super collatione Episcopatuum, & Abbatiarum: quis enim id Acatholicis, quibus hæc digna est vox, revelaverit, ipsi inquirant; dum verba aureæ Bullæ hæc sunt: *Ego Henricus pro amore Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & D. Papæ Calixti* (Secundi videlicet) *dimitto Deo, & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per anulum, & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in Regno, vel Imperio meo sunt, canonicam fieri electionem, & liberam consecrationem*, ut videre est apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 1122. & Goldalstum in sæpe relato tom. 1. pag. 258., ex quibus intel-

per existimata.

ligitur, quod Henricus omne id, quod usurpaverat, dimisit, nempe investituram per anulum, & baculum, & in omnibus Ecclesiis fieri liberas, & canonicas electiones concessit, nil sibi reservans; nam qui alienam potestatem occupaverat, & cogebatur sub pœnarum Ecclesiasticarum comminatione dimittere, nil sibi reservare poterat. Quod si aliquid excepisset, utique in Bulla, & actis à Goldasto recensitis id scriptum esset. Immò dum Henricus in omnibus Ecclesiis nulla excepta declaraverat liberam, & canonicam electionem in posterum fieri, nemo non videt, eum sibi reservare non potuisse primarias Preces, quæ liberas, & canonicas electiones subvertunt: immò si quas primarias Preces sibi Henricus reservasset, utique etiam ad Episcopales Sedes, quarum electiones singulariter occupaverat, protendisset: & tamen nunquam legitur, successores Henrici ad nostram usque ætatem primarias Preces pro Episcopatibus porrexisse.

LX.
Jus primariarum Precum non pendet à bulla aurea Henrici V.

At quis Germanorum vidit, aut retulit Henrici V. Preces? Nemo sane. Quare ergo asserendum est, id jus profluxisse ab Henrico, si non legitur, eum unquam has primarias Preces direxisse? Quin neque Lotharium III. aut Fridericum

cum I. seu Othonem IV. ejus proximos successores, qui Henrici declaratione posthabita, aureaque Bulla pessundata, iterum Episcopatuum investituras contra fas occuparunt. Immò dicimus, quod si id jus inter reliquias dimissionis ab Henrico factæ numerandum est, statim intelligimus id, abusum fuisse: & hic est verus fons hujus asserti juris profluens ab abusu illorum temporum, quibus immaniter Ecclesia Romana exagitata erat à factis Imperatorum, qui Ecclesiasticorum titulorum se arbitros fecerant, putabantque, ut etiam nunc Acatholici contendunt, Beneficia Ecclesiastica esse res temporales, & Regum, ac Principum legibus jurisdictioni, & dispositioni subjecta, ipsisque competere Pastores dare, & Rectores intitulare: ad quos abusus amputandos opus fuit, post deploranda bella, insignes Imperatorum depositiones, & plurima exorta scandala, ad Concordata cum inclyta natione Germanica, & dein cum Gallica devenire: in quibus potestas Pontificia manifesta fieret, libertas electionum pacto firmaretur, & Principibus laicis invadere potestatem cogendi Episcopos, & Capitula sine Pontificio indulto ad Beneficia conferendum inhibitum esset. Jure ergo optimo ad id

tempus ſcriptores jam dicti referunt jus primariarum Precum, ſcilicet ad tempus abuſus, quo jus in Beneficiis Eccleſiaſticis Imperatores invaſerant. Nec diſpliceat addere, quod ſi primariæ Preces ex jure aliquo Henrico V. in aurea Bulla reſervato, procederent, utique Rudolphus I. Preces ſuas, quæ ſunt cæteris vetuſtiores, & magis Henrici ætati proximæ, non adſcripſiſſet tantummodò antiquæ conſuetudini, ſed dicto juri, ut totidem verbis arguit Rumelin. ad auream Bullam diſſert. 4. Theſaur. 16. Præterea Johannes Beſold. in Theſaur. pract. par. 2. verb. *Primarias Preces*, pag. 148. cogitur tandem & ipſe veritatem fateri; diſſerens enim cur Preciſtæ primo vacaturum Beneficium à ſe electum aſſequantur, non obſtantibus ſtatutis, vel privilegiis præſcribentibus, primum Beneficium ſupprimi, vel uniri; & cur non obſtantibus Tridentinæ Synodi decretis primariæ Preces adhuc vigeant; ita reſpondet: *Cùm itaque in ipſa Pontificia confirmatione caſum expreſſum, & in terminis habeamus, ſuperſedendum eſſe videtur omni ulteriori diſputationi, cùm Pontifex maximus certa ex cauſa etiam contra decreta Conciliorum in caſibus fidei articulos non concernentibus, diſpenſare poſſit, urgente*

nempe necessitate, *vel etiam in favorem Serenissimi Imperatoris optime de Ecclesia meriti*, *& cui ideò amplissimæ gratiæ debentur.* Eodem pacto Fritschius de Jur. primar. Prec. cap. 5. num. 10. & seqq. quærens cur Precista etiam Beneficia in Concordatis Papæ reservata assequatur, hæc refert: *Cùm verò Pontifex Romanus sibi Ordinarios quosdam menses liberæ collationi reservaret*, *id est Februarium*, *Aprilem*, *Junium*, *Augustum*, *Octobrem*, *& Decembrem*: *reliqui verò Imperatori reservati sint*, *dubitatur*, *an Cæsarea Majestas jus primariarum Precum*, *etiam in dictis Ordinariis*, *ut vocant*, *mensibus ita exercere possit*, *ut Precista aliis præferri debeat. Negant quidam moti per textum Concordatorum nationis Germaniæ*, *ubi Nicolaus V. ita cavit &c.* Et postquam retulit verba Concordatorum, quibus Papa disposuit, quod per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem auctoritate Papali factam, vel faciendam, nunquam impedirentur Capitula, & Episcopi in dictis mensibus liberè eligere, vel conferre, ita subdit: *Cùm verò auctoritas Apostolica vigore diplomatis confirmatorii hodie in Imperiali concessione primariarum Precum*, *juxta superius tra-*

dua concurrat, ultra menses reservatos, eas sese extendere non posse, statuendum videtur. Verùm quamvis hæc non sine aliquo veritatis colore dicantur, malumus tamen sententiæ Klockii adhærere, qui optimè docet transactionem istam juri primariarum Precum majestatico, quod ante aliquot centum annos, priusquam Concordata illa lucem viderint, in pleno vigore fuit, nihil derogare posse.

LXI. Errores Fritschii.

Hæc Fritschius in pluribus palmariter errans; nam sicuti Concordata obstant in mensibus reservatis Ordinariis, in quibus Preces Imperiales concurrunt ad tollendam libertatem electionis, vel collationis Ordinariis datam in Concordatis; multò magis illa obstare debent ad tollendam libertatem conferendi in aliis mensibus, quam in iis, quos Pontifices sibi reservarunt. Errat etiam aiendo, Imperatori reservatos esse in Concordatis menses suos, in quo sane hallucinatus est, cùm nil prorsus Imperatori fuerit reservatum, aut datum; errat quoque supponens indulta concessa dein per Summos Pontifices Imperatoribus, complecti omnia Beneficia: quippe uti patuit ex eorundem exhibitione, in illis Pontifices obligarunt quidem Ordinarios exequi Preces omnibus mensibus in Concorda-

tis Collatoribus, & Papæ reservatis, declarantes Preces haud esse exequendas in vacatione primarum dignitatum, & Beneficiorum devolutorum, & litigiosorum, ac reservatorum in extravag. *Ad regimen.* Errat demum putans in Concordatis derogari non potuisse huic juri; nam cum Concordata in omni sui parte contraria sint Precibus, uti superius ostensum fuit; & consuetudo, si quæ erat, detecta fuerit simplex abusus ex ipsamet confessione Imperatorum, & conventus Electorum clamantium apud Concilia pro libertate electionum, & pro deletione mandatorum de providendo vacatura; clarum fit per Concordiam contrariam fuisse juri harum Precum derogatum, neque indiguisse Pontifices mentionem facere harum Precum, quarum usus de facto contra sacros Canones invectus erat, uti superius diximus; sic & Mayer. de primar. Precib. num. 95. & 96. fatetur Preces Imperiales in mensibus reservatis Sedi Apostolicæ in Concordatis, robur accipere à diplomate confirmationis Apostolicæ.

LXII. Primariarum Precum origines fabulosæ.

Torquentur adeo his argumentis Acatholici, ut ex iis non defuerint qui tradiderunt id jus Imperatoribus debitum eo quod fuerint semper primi Ecclesiarum Cathedralium Germaniæ Canonici; quod

ſint Eccleſiæ Romanæ, & omnium aliarum Eccleſiarum Protectores, & Advocati; quodque id jus proveniat ab Auguſto, aliiſque Cæſaribus antiquis, qui idipſum exercuerint. Hos irridere non deſinunt ipſimet Acatholici apud eundem Fritſchium de Jur. primar. Prec. cap. 2. Beſoldum, Vitriarium, & alios jam relatos. Quandoquidem dicimus Imperatores eſſe Eccleſiæ Romanæ Advocatos; quis id jus dederit in vim hujus Advocatiæ, non legitur; notum enim puto eſſe Acatholicis, Carolum IV. Clementi VI. Papæ, Henricum VII. Clementi V., & Rudolphum I. Gregorio X., Albertum Bonifacio VIII., Wenceſlaum Urbano VI., Fridericum Eugenio IV., & dein Nicolao V., Sigiſmundum pariter Eugenio IV., Carolum V. Clementi VII., Maximilianum Pio IV., Ferdinandum II. Paulo V., Ferdinandum III. Urbano VIII., & ferè omnes conſueviſſe, poſtquam ii inaugurati eſſent, & in Romanorum Reges electi, vel per ſe, vel per Nuncios jurare in actu, quo confirmationem Pontificiam ſuæ electionis habebant, ſe fideles Eccleſiæ Romanæ futuros, illiuſque Advocatos ſe devovere, ut videre eſt apud Goldaſtum, & legitur in indultis Pontificum jam relatis: ex qui-

bus postquam Imperatores id juramentum præstiterant, patet in præmium hujus Advocatiæ illis donatum indultum primariarum Precum; ergo Imperatores ipsi hæc indulta acceptantes fassi sunt Advocatiam hanc causam fuisse cur Pontifices ita indulgerent, & non cur ex illa id jus privativum, & proprium manaret. Itidem ex Conventu Electorum Germaniæ, in quo Wenceslaus Imperator depositus est, constat munus Imperatoris tanquam Advocati Ecclesiæ Romanæ id efflagitare, ut pacem Ecclesiæ promoveat, & libertatem Ecclesiarum servet, quemadmodum legitur apud Goldastum loco sæpiùs adducto tom. 1. pag. 379., quam libertatem procul dubio opprimunt coactæ electiones Abbatum, & Canonicorum, ac collationes Beneficiorum, quæ ex Precibus insurgunt, quando apparet ex jam adductis, Pontifices, Prælatos Germaniæ, quin universum cœtum Ecclesiasticorum ejusdem, Imperatores etiam, & Electores adeo decertasse pro hac libertate impetranda. Hæc delibasse sufficiat, cùm ipsi Acatholici ex prædictis fontibus quærere jus primariarum Precum insulsum putarint. Quod si omnes Imperatores, qui Preces direxerunt, & Augustissimus nuper inauguratus in diploma-

tibus suarum Precum tantummodò consuetudini, & exemplo prædecessorum adhæserunt, & spatio duorum sæculorum, & ultra expresserunt Preces dirigere in vim inveteratæ consuetudinis confirmatæ à sanctissimis illis Præsulibus Romanæ Ecclesiæ, qui cuilibet Imperatori donaverunt indultum, non est cur Germani scriptores, præsertim Acatholici, alia somnient principia, ex quibus hæ Preces originem trahant, dum Imperatores ipsi eorum dicta confundunt, exprimentes in ipsis Precibus causam, & quidem singularem, nempe consuetudinem simplicem, vel à Sede Apostolica confirmatam, præviis indultis specialibus singulis Imperatoribus concessis.

LXIII. Catholicorum sententiæ discussæ.

Audivimus vocem Acatholicorum, nunc audiamus & illam Catholicorum scriptorum, & quidem Germaniæ, & primò Hermanni Hermetis in tractatu, quem inscripsit Fasciculum Jur. public. cap. 11. pag. mihi 155. num. 8. & seqq. ubi ita universam rem ob oculos ponit: *Licèt non pauci velint hoc jus Imperatori competere, quasi ex jure patronatus, quod in universa Ecclesia Imperator sit tanquam nutritius, Advocatus, & defensor; verius tamen videtur hujus tituli occasione hoc jus natum ex inveterata consuetudine, Aposto-*

lica etiam auctoritate roborata. Id declarant verba formularum, hæc scilicet: Cùm nobis ad prædecessorum imitationem ex inveterata consuetudine, etiam auctoritate Apostolica roborata, jus competat Preces concedendi, cui accedit Bulla Apostolica his verbis: Quia Ecclesiæ fidelem Advocatum Te devovisti. Alii volunt ex mero indulto Pontificio jus Precum ortum. Deinde quærens an hujusmodi consuetudo sit valida, hæc refert: *Ratio dubitandi est, quod sacris Canonibus videatur adversari, quibus expectativæ ad Beneficia vacatura, & provisiones de Præbendis viventium, per quas votum captandæ mortis alienæ plenissimum tristissimi eventus oritur, in Ecclesia Christi damnantur. Hoc tamen non attento, valere Preces verius est, quia hæ Preces generaliter concipiuntur, nec ad certam diriguntur personam; Textus verò legales expectativam in certam personam morituram conceptam reprobant. Nec secundo adversatur Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, licèt enim & hoc quascumque concessiones ad vacatura Beneficia tollat, quæ mandata de providendo dicuntur, & gratias, sive expectativas, etsi concessæ sint etiam Collegio, Universitati, Senatui, vel singularibus personis, etiam sub nomine indulti, quovis colore non va-*

lere, nec concessis uti licere decrevit. Tales autem expectativæ hæ Preces esse videntur: respondetur namque juxta resolutionem Cardinalium, cùm in citato Textu & Canone Concilii nulla harum Precum fiat mentio, eas tali prohibitione non contineri, quod tamen fieri debuisset in persona Imperatoris, uti speciali nota digni, & si id voluisset Concilium abolere, expressisset, sicuti de aliis expressit, de Cardinalibus, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis, & ita censuit Sua Sanctitas ex sententia Congregationis anno 1575. in una Cameracen. Tertiò, non adversatur, quod Imperator laicus sit, cui talis potestas Ecclesiastica non potest competere. Respondetur primò, quod Papa etiam laico concedere possit, cùm conferre Beneficium non sit Ordinis, sed jurisdictionis, hæc autem laico delegari possit; adeoque hæc nominatio auctoritate, & roboratione Papæ per ipsum Papam facta censeatur. Respondetur tertiò, Romanum Imperatorem non conferre Beneficium, sed habere tantùm jus nominandi personas idoneas Collatoribus. At dices: consuetudo etiam memoriam hominum excedens tribuens facultatem laico ad Prælaturas & Beneficia, Canonibus damnatur, & corruptela dicitur, idque quia laicus etiam Principali, & Regia potestate

fulgens, jura spiritualia possidere nequeat. Respondetur namque per auctoritatem Pontificis accedentem Imperatorem fieri capacem, quia agit ex consuetudine auctoritate Apostolica roborata, sola tamen consuetudo, vel præscriptio etiam immemorabilis hoc jus laico tribuere non posset, quia principale requisitum, facultas scilicet possidendi jus Ecclesiasticum sine indulto Papæ deficeret, ex Chockier, ubi ostendit qualiter Pontifices aliquando contra eos processerunt, qui ejusmodi nominationes sibi arrogarunt, & infelicem exitum, qui istis nominationibus sine sanctæ Sedis indulto usi fuerunt, cùm collatio Beneficii res sacra & spiritualis sit, cap. Decernimus 10. *de judiciis, quidquid velit Fritschius de Prec. cap.* 1. *in fin. & cap.* 2. *num.* 12. *& seq., ubi tradit id Principibus magis quàm Episcopis convenire, tanquam rem omninò profanam, & temporalem. Verùm cùm non sit sola perceptio reddituum, Beneficium Ecclesiasticum, sed ejus principale sit jus administrandi Sacramenta, prædicandi, cantandi in Templo, & Officia sacra alia peragendi, communis sententia Canonistarum à Fritschio recedit.* Et dein verò num. 36. sic subjicit : *Quæro quid de Beneficiis reservatis, respondeo: Excipi à Precibus reservata, de quibus in ex-*

travag. Ad Regimen, *de Prabend.*, *scilicet Beneficia Cappellanorum Papæ, & aliorum Officialium Romanæ Curiæ, eorumque qui in Romana Curia decedunt, vel locis à dicta Curia non ultra duas dietas distantibus.* Et num. 37. probat etiam excepta à Precibus Beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta, litigiosa etiam, & primas dignitates num. 38. & 43. & num. 47., ubi, quod Precibus afficiuntur Beneficia quovis mense vacantia, non obstantibus concordatis, *quod novissimis indultis Apostolicis expressè in hoc passu concordatis derogetur.* Ita etiam Gail. practic. observat. lib. 2. cap. 155. *Hinc apparet valere Cæsareas Preces primarias super Beneficiis primò vacaturis, quas Pontificis indulto, & privilegio Cæsar benemeritis conferre consuevit.* Arnulphus Ruzeus de Jur. Regal. privil. 47. num. 2., apud Bursatt. consil. 126. num. 39. & 40., qui ex Thoma Feltrensi, & Speculatore testatur, Rudolphum I. Imperatorem habuisse indultum primariarum Precum à Gregorio X., cùm is Lausanæ electus fuisset, & ab eodem Gregorio confirmatus. Chockier. de indult. primar. Prec. in proœm. post princip. *In primis itaque notandum est, inclytum Romanorum Imperatorem ex indulto Pontificio non conferre Beneficia*

Germaniæ, sed habere dumtaxat jus nominandi personas idoneas Collatoribus ad Beneficia vacatura, quas ipse facit per suos Executores recipi ex concessione Precum primariarum ipsi facta per summum Pontificem. Et pagina 3. sic : *Ex quibus videt Lector primarias Preces non adversari Concilio Tridentino, nec etiam sacris Canonibus, quòd & firmatur evidenti hac ratione, quod Papa pro sua potestate potest dare facultatem laico etiam conferendi Beneficia, quæ enim sunt jurisdictionis, ut est collatio Beneficiorum, cuicumque mandare potest.* Et pagina 4. ad fin. ubi id ipsum agnovisse Imperatores in eorum Precibus scribit, & sect. 1. pag. 14. hæc habet : *Eo quod nefas esset Imperatoris nomen assumere, nisi illud ab Apostolica Sede collatum esset.* Et pagina 19. tradit Advocatiam Romanæ Ecclesiæ, quam devovet Imperator in manibus Papæ, esse causam hujus indulti, hæc subdens : *Tantùm hic adverte, Papam idcircò narrare Imperatoris merita, quorum etiam intuitu facultatem nominandi concedit.* Et sect. 5. à pagina 99. usque ad 105. ponderans derogationem, quæ solet fieri in laudatis indultis, Concordatis Germaniæ, scribit in gratiam Imperatoris, & ob ejus merita communem esse Germano-

rum opinionem, quod Papa derogare valeat Concordatis Germaniæ. Sic etiam Restaurus Castaldus de Imperator. quæst. 100., ubi postquam eruditissimè tradidit collationes dignitatum Ecclesiasticarum, & Beneficiorum non ad Reges & Imperatores, sed ad Pontifices spectare, & Imperatores nequaquam jure proprio primarias Preces posse porrigere num. 14. & 15. subdit ex indulto, & privilegio Apostolico tantummodo id jus primariarum Precum Imperatores obtinere Boer. decis. 32. num. 8. Coppin. de sacr. Polit. lib. 1. tit. 10. num. 13., Rebuff. cons. 47. num. 2. *Apostolicus præfertur habenti primarias Preces à Rege, vel Imperatore, quia Imperator, vel Rex illud jus habent ab auctoritate Apostolica, alioquin esset jus illud nullum.* Et per eadem verba Besold. in tractat. de majest. Eccles. fol. mihi 121., & ex Acatholicis etiam Wilhelmus Beckers Synops. jur. public. cap. 5. §. 5., Rumelin. ad A. B. part. 1. dissert. 14. thesaur. 16., Syring. de pace Relig. concl. 31. lit. B., Lampad. de Republ. Rom. German. par. 3. cap. 11. §. 46. & 47., qui omnes fatentur ex inconcussa observantia duorum sæculorum, & ultra, satis patere Imperatores id jus exercere ex dono, & concessione Papali.

His addendum existimo, quod cùm in articulis pacis Germaniæ, initæ inter Religionarios, & Ferdinandum III. Imperatorem anno 1648., multa dicta & attentata essent, quæ Christianæ Reipublicæ adversarentur, Innocentius X. in bulla, qua declaravit anno 1651. eos articulos irritos, nullosque; edixit etiam, palamque fecit jus primariarum Precum nonnisi ab indulto Apostolico dependere; hæc enim sunt verba bullæ: *Precumque primariarum eidem Ferdinando in Imperatorem electo à præfata Sede Apostolica concessarum*; quæ quidem declaratio torquet plurimum Acatholicos, & præsertim Fritschium de Jur. primar. Prec. cap. 2. num. 3. in fin., Vitriarium etiam loco adducto lib. 3. tit. 2. num. 9. LXIV. **Articuli pacis Germaniæ non probati ab Innocentio X.**

Hinc notandus lapsus multorum, qui ex quadam resolutione sacræ Congregationis Concilii autumant declaratum à Curia Romana primarias Preces Imperatorum sub dispositione decreti Tridentinæ Synodi sess. 24. cap. 19., quod supra retulimus, haud comprehensas, unde arguunt, quod quemadmodum hæ Preces sub dicti Synodalis decreti constitutione inclusæ non fuerunt, ita neque in Concordatis. Sed prædicti nodum in scirpo quærunt, neque vim, & verba dictæ de- LXV. **Resolutio sacræ Congregationis Concilii Tridentini non bene intellecta.**

finitionis sacræ Congregationis Concilii intellexerunt : quandoquidem cùm tempore Tridentinæ Synodi publicatæ anno 1564. vigerent indulta primariarum Precum à Clemente VII. Pontifice concessa Carolo V. & Ferdinando ejus fratri Imperatoribus, necnon aliud à Pio IV. donatum Maximiliano II. Ferdinandi filio, quorum indultorum supra meminimus; & adhuc Precistæ plures vigore Precum Beneficia non obtinuissent, quod non vacassent meliora, quæ eligerent, aut non reservata in indultis ; idcirco factum est, ut Tridentini Patres, quibus cordi erat omnes gratias, in quibus includerentur Beneficia vacatura, ab Ecclesia Dei eradicare, plurimum differuerint, an indultis Papalibus primariarum Precum concessis laudatis Imperatoribus, atque in futurum concedendis, quibus gratiæ de vacaturis continebantur, nominatim derogandum esset. Prævaluit opinio, quod in obsequium Pontificum, & Imperatorum ea indulta non nominarentur : & quoniam hæc indulta præservare specialiter in decreto videbatur dissonans ab instantiis factis à tota Germania, & Gallis, hasce gratias, quin earum nomen penitus tolli clamantibus, idcircò satius putarunt Patres laudati non me-

meminisse dictorum indultorum in decreto superiùs relato, ut illa illæsa remanerent. Hanc rem narrat Fagnanus in cap. Nulla num. 9. & 10. de concess. Præbend., ubi subdit, quod Archiepiscopo Cameracen. repugnante exequi Imperiales Preces post Tridentinam Synodum; & asserenti indulta Imperatoribus concessa jam à Tridentino abrogata, Precista (en ejus verba) *Supplicavit declarari per Congregationem Concilii, an dictum caput* 19. *afficiat hujusmodi concessiones, & indulta ad vacatura sic anteà concessa per Romanum Pontificem Imperatori, & demum per Pium IV. confirmata.* Dein subjicit: *Sacra Congregatio censuit hasce primarias Preces non comprehendi in dicto cap.* 19. Et paulò post refert, quod delata re ad Gregorium XIII. Pontificem, is probavit sententiam sacræ Congregationis: *Et ultra rationes ponderatas à Sacra Congregatione, addidit Sanctitas Sua, quod meminit tempore Concilii, quando formabatur dictum caput* 19. *aliquos voluisse addi & primarias Preces Imperatori concessas, sed communior sententia Patrum fuit, ut tolleretur earum mentio, sicque non comprehenderentur in dicto cap.* 19. Idem tradit Chockier. in tract. de indult. Prec. primar. post tra-

ctat. ad regul. Cancellar. in proœm. pag. 2. & 3. verſ. Ex quibus, Hermes etiam ſupra relatus.

LXVI. Argumenta contra aſſerentes non ab indulto Apoſtolico, ſed à conſuetudine, & jure Imperiali Preces pendere.

Hinc plura argumenta deducuntur contra ſcriptores, qui has Preces non ab indulto Apoſtolico, ſed à conſuetudine, & Imperiali jure pendere arbitrantur: quippe jam intelleximus, Tridentinos Patres cogitaſſe etiam de abrogandis indultis Apoſtolicis, jus primariarum Precum Imperatori concedentibus, ut omne penitus gratiarum complectentium Beneficia vacatura, nomen eraderent: ergo agnoverunt has gratias Apoſtolicas eſſe irregulares, contra ſacros Canones, & nimis præjudiciales Capitulis, & Epiſcopis, uti ipſos Germanos expoſuiſſe iiſdem Concilii Patribus, jam ſupra retulimus n. XI. & ſequentibus. Quod ſi ita faciendum putarunt, quid feciſſent ſi indulta Apoſtolica defuiſſent, & Imperatores Preces ſuas direxiſſent nulla auctoritate Apoſtolica ſuffulti, ſed laicali poteſtate exiſtimaſſent diſponendum de vacaturis, & cogendos minis, & pœnis Ordinarios, & Capitula ad eligendum, & conferendum Preciſtis. Tridentini etiam Patres ſatis declararunt indulta eſſe de illis, quibus derogatum iri edicebant, quanquam prævaluerit major pars putans in gratiam

Pontificum Romanorum, & Cæsarum ea præservanda. Et quidem ipsi Pontifices ante Concilium jam dictum, nempe Nicolaus V. Calixtus III., & qui postea sequuti sunt, has Preces adversari sacris Canonibus, & expectativas involvere, declararunt in iisdem indultis Friderico, & aliis Cæsaribus concessis, mandantes provisiones vigore Precum factas, & faciendas publicari debere, quemadmodum publicandas edixerant expectativas, uti intelligi potest ex indultis Nicolai V. & Calixti III. superius relatis. Concilium ergo & sacra Congregatio, quæ declarationibus dictorum Synodalium Decretorum præest, nunquam cogitavit asserere, Preces Imperiales à laicali potestate tantummodò profluentes immunes à dicto Tridentini Decreto; sed Indulta Pontificum, quibus jus dictarum Precum Imperatoribus concessum foret, uti innuit historia à Fagnano jam relato recitata: quæ res cùm clarissima sit, mirandum sane est, quomodo ingenium quorundam scriptorum offenderit, qui ex prædicto Decreto arbitrati sunt educere, Preces Imperiales in genere non fuisse in Tridentina Synodo comprehensas; cùm revera pateat non fuisse inclusas Preces Imperatoribus à Romanis Pon-

tificibus concessas: quod probat, Patres Concilii Tridentini consuetudinem antiquam, cui inhærebant Imperiales Preces, damnasse, dum ii eas tantummodò Preces Imperiales præservarunt, quæ fulcitæ essent Indulto Apostolico ex jam dictis.

LXVII. Cur Pontifices indulta post Concordata, & Tridentini Concilii decretum, concesserint?

At fortasse aliquis quærat, cur Romani Pontifices post Concordata, & post decretum Tridentini Concilii indulta primariarum Precum concesserint? Respondeo hanc rem satis dilucidam esse; sicuti enim jam intelleximus, Concilii Patres indulta tunc temporis Ferdinando, & Maximiliano donata, præservare voluisse, ita & quæ in posterum concederentur à Sede Apostolica, procul dubio ex eadem ratione illibata permanserunt. Quo verò ad Concordata jam superius retulimus, in singulis indultis fuisse à Romanis Præsulibus iisdem Concordatis derogatum; quin Germaniæ Ordinarios noluisse hæc indulta exequi, quæ hujusmodi derogatione carerent, uti dictum fuit num. LVII. quas derogationes Germania fieri à Romanis Pontificibus habentibus hanc potestatem passa est libenter in gratiam suorum Cæsarum, & ut id honoris iisdem statim inauguratis tribueret, quemadmodum usus rerum edo-

cuit, & probant Hermes, Chockier, & alii in superiori numero LXIII. adducti.

LXVIII. Rudolphus I. nullum perpetuum indultum obtinuit à Sede Apostolica.

Alii putantes, has Preces nonnisi à Pontificia potestate pendere, sibi persuadent Imperatores Augustissimos indultum perpetuum primariarum Precum à Sede Apostolica olim obtinuisse; utque id probent, utuntur exemplari diplomatis Rudolphi I., alteriusque Caroli IV., in quibus sunt illa verba: *Cùm ex antiqua, & approbata à Divis Imperatoribus, & Regibus ad nos producta consuetudine*; indeque arguunt, cùm Rudolphus consuetudinis approbatæ meminit, consuetudinem illam, quæ etiam ætate Rudolphi vigebat, à Sede Apostolica fuisse approbatam. Subdunt etiam testimonio Speculatoris, cujus verba supra num. XIX. retulimus, satis patere Rudolphum Apostolicum diploma pro concessione Precum impetrasse à Gregorio X., quibus nugis suadere conantur Augustissimum Imperatorem novo indulto non indigere. At hos immaniter hallucinari constat, primò quia id indultum non ostenditur, & tot indulta donata pluribus Imperatoribus ab ætate Friderici III. ad auspicia Imperii gloriosæ memoriæ Leopoldi superius transcripta, hunc palmarem errorem palam faciunt; quando-

quidem in illis quisquis Pontifex post confirmatam electionem unicuique in Romanorum Regem assumpto, indultum primariarum Precum donavit, designata singulari persona, uniuscujusque Imperatoris meritis præmissis, & cum dictionibus personalissimis, uti patuit ex indultis jam relatis. Quare formula, nomen proprium Indultarii expressum, meritum singulare cujuslibet, & personalissimæ dictiones contrarium dilucidò evincunt. Si enim Imperatores id perpetuum indultum habuissent, Goldastus rerum Germanicarum, & diplomatum Imperialium accuratus collector, & juribus Pontificiis ex suæ sectæ studiis alioqui infensissimus, utique illud edidisset, & quod magis est, Fridericus III. eo perpetuo indulto usus, personale & speciale indultum à Nicolao V. non impetrasset, & exagitatus exceptionibus Germanorum contra primum indultum Nicolai V. non adduxisset secundum, quo exceptiones prædictæ amputarentur, sed perpetuum allegasset. Sic Maximilianus I. Friderici filius, & cæteri ad Leopoldum usque, singulare & personale Diploma Apostolicum, quo eis Preces concederentur non obtinuissent, si jam unum superfuisset, quo in perpetuum id jus singulis Impera-

toribus donatum jam esset. Secundò, Imperatores ipsi in Precibus, quas direxerunt, postquam indultum Apostolicum post Concordata expedire consueverunt, in hunc modum loquuti sunt: *Cùm nobis ad prædecessorum nostrorum imitationem ex inveterata consuetudine etiam Apostolica auctoritate per Sanctissimum in Christo Patrem D. Paulum V. sanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ Pontificem Maximum jus competat &c.* Hæc est formula diplomatum Precum Matthiæ, & similis omnino altera Ferdinandi II. & Ferdinandi III., mutato tantùm nomine Romani Pontificis, quam referunt Besold. Thesaur. pract. par. 2., lit. P. pag. 149., Fritschius de primar. Prec. cap. 2. num. 3. & post cap. ult. pag. 40., Paurmeister. de Jurisdict. lib. 1. cap. 40. num. 48., Chockier. Goldast. & Vitriarius etiam loco superius adducto lib. 3. tit. 2. num. 9. in adnotat. pag. 56. col. 2. in fine, ubi refert eandem formulam Precum Rudolphi II. Quare autem Imperatores relati, & eorum prædecessores ad Fridericum usque meminerint personalis, & specialis indulti nominatim concessi à Pontifice tunc vivente, & non expresserint indultum perpetuum Rudolpho I., aut prioribus Cæsaribus concessum, quod illis donatum à Sede Aposto-

lica quidam recentiores asserunt, ipsi viderint, qui hujuscemodi rem narrant. Ego quippe malim evidentiæ rei adhærere, quàm dictis aliorum sine diplomate Papali, & contra confessionem ipsorum Imperatorum. Tertiò, si Friderici III. ætate, non dicam id indultum perpetuum, sed ejus umbra, & fama superfuisset, utique ille, ejusque successores Nicolao V., & qui eum sequuti sunt Pontificibus, illud exposuissent, & Romani Præsules non recens, & singulare donum primariarum Precum ex mera liberalitate, & personaliter unicuique Imperatori fecissent; sed id perpetuum indultum confirmassent, & exequi mandassent; aut saltem id perpetuum indultum à prædecessoribus datum fuisset in causa recenter concessi; & tamen in nullo ex relatis legitur ulla mentio habita, non dicam diplomatis Pontificii, sed neque consuetudinis; & qui novit stylum Bullarum Apostolicarum, & Ministrorum Regum, & Principum, sibi suadere non poterit, quod Imperatores putaverint sibi licere Preces dirigere virtute vetustissimi asserti indulti perpetui, quando novum, & personale indultum impetrarunt ex causis in indultis expressis, redolentibus recens Beneficium, & donum Papale, neque per somnium relata fama hujuscemodi perpetui indulti.

Immò ut Romani Antistites palam facerent sese cuilibet Imperatori personale indultum dedisse, neque adduxerunt pro ratione, & causa recentis indulti facta antecessorum, qui simile indultum aliis donaverant. Nam in indulto concesso Ferdinando III. nulla legitur habita mentio alterius concessi Ferdinando II., aut in isto alterius Matthiæ, & in illo Matthiæ alterius Rudolphi II., & sic de singulis; sed unicuique ex causa meritorum personalium recens donum factum est. Quartò, historia jam relata evincit oppositum; quippe Fridericus III. post Concordata, & indultum primariarum Precum habitum à Nicolao V. non potuit ab Ordinariis Germaniæ impetrare suas Preces exequi, quod illi dicerent in primo indulto Nicolai Concordatis non fuisse derogatum, & quod forma, & conditiones appositæ in eodem indulto impletæ non essent, atque per regulas Cancellariæ, & novas leges publicatas à dicto Pontifice id indultum evanuisset; unde opus fuit secundo, & novo indulto, quo Papa Concordatis nominatim, & legibus à se latis derogaret, & conditiones in primo additas tolleret, quod & evenisse Maximiliano I. Friderici filio, ac Carolo V. & Ferdinan-

do ejus fratri supra exposuimus. Hæc & similia facta non fuissent, si indultum perpetuum ante Concordata adfuisset: quippe aut illud in Concordatis reservatum, aut illi derogatum esset, & cùm derogatio non legeretur, & quotquot disposita erant in Concordatis adversarentur primariis Precibus, insulsum prorsus fuisset, Germanos Concordata Friderico opposuisse, & Fridericum pro illorum derogatione institisse; & magis insulsum, quod indultum perpetuum Imperatoribus datum cadere potuisset sub leges, & regulas à Nicolao V. & successoribus publicatas, ac si revocatum tacite esset, quando talibus indultis Imperatoribus, & Regibus concessis, Sedes Apostolica nequaquam derogare solet, maxime sub involucro verborum.

LXIX. **Aliæ rationes pro indultis.** Crescit argumentum, ponderando, quod Fridericus, & successores non acceptassent indulta, in quibus plures conditiones erant adjectæ, ac Pontifices Imperatoribus inhibebant Preces porrigere pro Beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis in extravag. *Ad regimen*, de præbend., pro primis dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus, & Collegiatis, & pro devolutis, & litigiosis, quorum omnium collationem sibi reservabant. Quis un-

quam credere poterit, Imperatores habentes indultum perpetuum, cujus formula desumitur ex diplomatibus Precum Rudolphi I. & Caroli IV., in quibus nullum Beneficium excipitur, acceptasse recens indultum Papale, cum tot conditionibus, restrictionibus, & exceptionibus? Ego ausim affirmare eos, qui talia asserunt, Ministros Imperiales illorum temporum stolidos judicare, vel parum Dominis suis fideles, & jura Imperii ignorantes: quod nefas est asserere, cùm notum sit, nonnisi accuratissimos viros ad Imperialis aulæ servitium assumi solitum. Jactent modo recentiores ex illis verbis: *Antiqua, & approbata consuetudine*, relatis in diplomate Rudolphi I. educi consuetudinem hanc à Sede Apostolica perpetuo privilegio approbatam. Mihi videntur illi non percepisse vim dictorum verborum; non enim Rudolphus expressit quæ ipsi somniant, sed retulit consuetudinem antiquam approbatam *à Divis Imperatoribus*, non autem à Romanis Pontificibus, quorum potestati tantummodò id reservatum est; & sic ex lectione ipsius formulæ Precum Rudolphi excluditur potius Pontificia approbatio. Quod si illa adfuisset, Speculatoris testimonio inhærendo, quod

Fritſchius, Mayer. Beſold. & alii plures Germani ſcriptores minus verum aſſerunt, utique illa dicenda foret approbatio perſonalis, & perſonale indultum Rudolpho datum: & indultum, in quo conceſſum tantummodò eſſet rogare Ordinarios ſine pœnis, procul à minis, & præceptis, & ſine deputatione Executorum, uti indicant ipſæ Preces Rudolphi, quæ nudas rogatorias continent, uti ſuperius ponderavimus. At neque tanti facienda eſſet aſſertio in Precibus Rudolphi addita, ut ex eadem probari poſſet diploma, & quidem perpetuum Romanorum Præſulum: quippe ſi aſſertiones Principum in hac re attendendæ eſſent, utique quiſque ſibi privilegium Apoſtolicum impertiri poſſet, præſertim quia aſſertioni Rudolphi non conſenſit aſſertio Caroli IV., qui de jure ſibi arbitratus eſt jus Precum competere: quod nefas eſt dicere, minuſque conſentiunt facta tot, tantorumque Imperatorum, qui ab ætate Friderici III. ad auſpicia Imperii glor. mem. Leopoldi, novum, & recens indultum Apoſtolicum aſſequuti ſunt, nec Preces cum effectu direxerunt ſine ſpeciali, & perſonali diplomate Pontificio. Quare malim hærere factis tot Imperatorum, & Romanorum Pontificum,

inclytæ nationis Germanicæ opinioni desumptæ ab exceptionibus semper datis, non dicam Precibus Imperialibus, sed ipsis indultis, cùm occasio venisset opponendi eorum formam non fuisse impletam, & observantiæ duorum sæculorum cum dimidio, quàm simplici dicto Rudolphi Augustissimi Imperatoris, quem neque asseruisse constat quod recentiores effingunt.

His positis, parum prodest exemplum glor. mem. Leopoldi patris Augustissimi Imperatoris viventis, quem aiunt Preces direxisse, neque indultum Apostolicum impetrasse; siquidem prodam causam, fortasse à Germanis ipsis ignoratam, ob quam hæc evenerunt. Consueverant Imperatores ad Leopoldum usque statim post suam electionem ad Urbem mittere Legatum, qui eorum nomine obedientiam voveret Sedi Apostolicæ, & Christi, ac Petri Vicario, & deinde diploma confirmationis electionis impetrarent. At quoniam mos vetustus erat hujuscemodi Legatos decus Imperii gestantes, non sine ingenti pompa, & impensa ad Romanam Curiam mitti, Leopoldus, qui intestinis, & incertis vexabatur præliis, supplicavit Alexandro VII. tunc Pontifici, ut sine transmissione Legati (quem Legatum

LXX.
Cur Leopoldus I. sine indulto Preces direxerit.

Obedientia Romani vocitare ſolebant) & procul à pompis, dignaretur dictus Summus Præſul ſuam electionem confirmare. Hæc res patet ex ſupplici libello tunc Alexandro VII. porrecto nomine Leopoldi Cæſaris à Cardinali de Haſſia tunc ejus Legato ordinario apud Romanum Pontificem, ex cujus autographo intra Vaticanum Archivum cuſtodito, prout jacet tranſcriptum exemplum, mihi perquirenti cauſam hujuſce rei, ab amiciſſimo remiſſum, hujuſmodi eſt:

BEATISSIMO PADRE.

L'Imperadore mio Signore ſin dal principio, che fù eletto Rè de' Romani ebbe ſempre un' ardentiſſimo deſiderio di mandare a Roma un' Ambaſciadore di ubbidienza, col mezzo del quale impetraſſe anche la conferma della ſua elezione; e crebbe, e creſce via più in lui queſta divozione, particolarmente dopo la feliciſſima aſſunzione di Voſtra Santità, sì bramata, e sì riverita da Sua Maeſtà. Ma quanto l'accende a ciò eſeguire la ſua ſingolariſſima pietà, altrettanto la ritengono le continue calamità de' tempi, troppo note a tutta l'Europa, non che a Voſtra Beatitudine tanto informata in che ſtato ſi trova

ora la Germania circa le cose non solamente politiche, ma della Religione Cattolica sì miseramente lacerata & impugnata dagli Eretici, ed infedeli, a segno che non sà vedere Sua Maestà come possa trà le turbolenze, dalle quali si assorbisce un' infinità di spese, palesar con la dovuta pompa d'un' Ambasciadore il zelosissimo ossequio, che deve, e porta à Vostra Santità, verissimo Vicario di Cristo: per la cui fede, e gloria è costretta di stare incessantemente col brando Imperiale in mano, senza poter respirare dalle continue spese, che ricercano i circostanti pericoli. Ciò essendo, Beatissimo Padre, è che Sua Maestà Cesarea viene impossibilitata di transmettere un' altro Ambasciadore straordinario, come il Cardinal d'Assia a nome di Sua Maestà ne fà riverente attestazione a Vostra Santità; e che nondimeno sarebbe di tanta importanza per il ben publico, e della Religione Cattolica, che l'autorità Cesarea venisse corroborata con la detta confermazione Apostolica. Io supplico la somma prudenza di Vostra Beatitudine a riflettere benignamente a qualche particolar modo di confermare la detta elezione Cesarea per Breve, ò in altra maniera, che stimerà più convenevole, attese le circostanze de' tempi presenti, e per questa sola

volta; perilche Sua Maestà darà tutte quelle dichiarazioni, che avanti si desiderano da Vostra Santità. Quam Deus &c.

LXXI.
Alexander VII. negat indultum Leopoldo I. nisi misso Legato ad Sedem Apostolicam.

Alexander VII. tenacissimus custos rituum Ecclesiasticorum, timens ne paulatim hic laudabilis mos imminueretur, & sequuturi Cæsares, quanquam res in Germania felicissimæ forent, eo exemplo hos Legatos obedientiæ impostetum non essent missuri, diploma confirmationis negavit; & nisi palàm Cæsareus Legatus ad hunc effectum specialiter missus consueta solemnia impleret, protestatus est se id diploma numquam concessurum. Interim ob bella, quibus Pannonia, Germania, & Imperium universum premebantur, re de die in diem dilata, Imperator primarias Preces direxit, parcè tamen, & postquàm tentaverat indultum primariarum Precum à Sede Apostolica obtinere, quemadmodùm sui prædecessores fecerant; frustrà tamen, cùm Romanus Præsul constanter responderit, nonnisi post confirmatam electionem, & præstitam ab Augustissimo Leopoldo obedientiam Apostolicæ Sedi, se id indultum daturum. Quin cùm Comes Lambergius tunc Leopoldi principalis Minister pro indulto singulari, & pro uno Canonicatu

nicatu Salisburgensis Ecclesiæ, pro quo obtinuerat favore filii promissionem primarum Precum Imperialium, supplicasset; responsum accepit, moris non esse Sedem Apostolicam ita indulgere; ut eruitur ex epistolis Episcopi Aversani, nempe Caroli Carafæ, postea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, tunc Pontificii Nuncii apud Cæsarem, datis ad primum Pontificium Ministrum, & ejusdem Ministri responsis. Tenor epistolæ Episcopi Aversani est hujusmodi:

EMINENTISS. E REVERENDISS.
Sig. Mio,
Padron Colendissimo.

Il Sig. Conte di Lamberg, che hà ottenuto da Sua Maestà la promessa delle prime Preci nella Cattedrale di Salisburg in persona del Sig. Conte Giorgio Sigismondo suo figliulo, ben conosce, che la grazia non può avere effetto, se non dopo la spedizione della Bolla; e che questa non si concede all' Imperadore prima che abbia prestato solennemente la dovuta ubbidienza alla Santa Sede. Ma non trovandosi ora soggetto, che possa soggiacere a spesa sì grande, brameria Sua Excellenza, che Nostro Signore si degnasse di dare a Sua Maestà un' indulto particolare per questo solo

caso, & in specie a favore del suo Sig. Figlio, per il qual'effetto fù ieri da me a pregarmi di volere in suo nome supplicare Vostra Eminenza a restar servita di onorarlo con promuvore a favorire l'istanza, sperando di avere a conseguire l'intento, mediante il suo benignissimo patrocinio, non meno in riguardo di essersi altre volte spediti simili indulti, che per l'umilissima divozione, che hà sempre professato alla Santità Sua fin da quando si trovava nel Congresso di Munster. Egli è un Cavaliere così amato, e stimato da Sua Maestà, che possedendo il secondo luogo nell' affetto del Padrone, hà gran parte nel maneggio del negozio; e se il Sig. Conte di Porcia (che Dio non voglia) mancasse, saria senza fallo surrogato nella carica di primo Ministro. Io rappresento il tutto à Vostra Eminenza, mentre resto baciandole con profondo inchino le sagre vesti.

Vienna 22. Gennaro 1661.

Di Vostra Eminenza

Umiliss. divotiss. Serv. obligatiss.

Carlo Vescovo di Aversa.

Responsum datum à Secretario Status Alexandri VII. Papæ tale est, prout apparet ex duabus Epistolis missivis in hunc modum:

A MONSIG. NUNCIO IN VIENNA
12. Febbrajo 1661.

TIene Nostro Signore particolar memoria della persona del Sig. Conte di Lamberg, e gli conserva il suo paterno affetto col motivo della precisa cognizione, che hà avuta delle di lui rare qualità, e singolari meriti. Hà sentito ora Sua Beatitudine da V. S. con molta benignità il desiderio del medesimo per la grazia accennata a favore del Sig. Conte Gio. Georgio Sigismondo suo figlio. Considera però la Santità Sua essere materia di gran riflesso, e molto difficoltosa, in riguardo, che porta seco tratto successivo. Tuttavia hà ordinato, che si faccia quì diligenza per trovare gli esempj di simili concessioni. Potrà in tanto V. S. assicurare il Sig. Conte non meno della clementissima disposizione di Nostro Signore verso di lui, e della sua Casa, che del mio particolar desiderio di servirlo sempre; e resto augurando a lei piene contentezze.

A MONSIGNOR NUNCIO APPRESSO L'IMPERADORE
a' 19. Febbrajo 1661. in Cifra.

PEr quello, che riguarda l'instanza del Sig. Conte di Lamberg, acciocchè da Nostro Signore si conceda un particolare

indulto all' Imperadore di far godere delle prime Preci della Catedrale di Salisburgo il figlio di detto Sig. Conte, non ostante, che la Maestà Sua non abbia prestata a Sua Beatitudine l'ubbidienza solenne; essendosi quì fatta diligenza per trovare gli esempj di simili indulti, che a V. S. è stato supposto di essere stati spediti ne' passati tempi, non si è potuto trovare menzione alcuna di somigliante dispaccio; onde potrà V. S. senza lasciarsi intendere di averne avuto ordine di quà, informarsi destramente quali siano i costì, si asseriscono, poiche con tal notizia se ne farà poi il rincontro in questi registri, e si considerarà quando, ed in che modo sia stata conceduta tal grazia &c.

Quibus epistolis ità respondit Apostolicus Nuncius.

CIFRA DI MONSIG. NUNCIO DI VIENNA il di 12. Marzo 1661.

PRocurerò come da me, senza lasciarmi intendere di averne avuto ordine di costà, conforme Vostra Eminenza si degna di prescrivermi, d'informarmi dal Sig. Conte di Lamberg quali siano i casi, che asserisce, e ne' quali suppone essersi ne' passati tempi conceduti altre volte indulti nella forma, ch' egli desidera, che si concedano al moder-

no Imperadore a favore del Sig. suo Figlio per le prime Preci della Chiesa di Salisburg, non ostante, che la Maestà Sua non abbia prestato a Nostro Signore l'ubbidienza solenne. Parendomi difficile, che in tal proposito si possano trovare simili esempj, studierò di farne svanire con destrezza la pretenzione, e di rendere capace il medesimo Sig. Conte della ragione &c.

LXXII. Leopoldus I. indultum minimè neglexit, & Precibus parce usus est.

Hoc modo res infecta mansit; quamobrem immaniter errant, qui putant Leopoldum Cæsarem indultum primarum Precum studio neglexisse, cùm pateat ex prædictis expetitum impetrare non potuisse, propterea quod non præmiserat solemnia juxta morem antecessorum; neque se in actu obedientiæ præstandæ Romanæ Ecclesiæ, Catholicorum Cæsarum & Regum Matris Advocatum devoverat: ob quam rem Romani Pontifices id indultum Imperatoribus Romanis donare consueverant. Agnovit itaque Cæsar, ejusque principalis Minister, sine Apostolico indulto Imperiales Preces vacuas redituras. Et quidem scimus, & palam est, quod affirmamus in universa Germania, eum Augustissimum Imperatorem se abstinuisse ab hisce Precibus porrigendis pluribus, atque pluribus Ordinariis. Coloniæ Agrippinæ præter Me-

tropolitanæ Ecclesiæ Illustrissimum Capitulum plura sunt insignium Collegiatarum Capitula, ad quæ nullas à Leopoldo Preces primarias pervenisse constat. De aliis plurimis non loquimur, cùm satis manifestum sit parce nimis Leopoldum Precibus usum, quod is optime sciret sine indulto Apostolico Germanos Antistites, & inclyta Capitula non ita facile suis Precibus obsecutura. Immò compertum est plures, atque plures Imperiales Leopoldi Preces vacuas ad eundem rediisse. Quamobrem hanc quæstionem definire exemplo Augustissimi Leopoldi, contra tot rationes hactenus relatas, evincente, Imperatores sine Diplomate Apostolico hanc potestatem minime habere, & talibus precibus parentes, & Precistas in pœnas inflictas in Synodo VII. œcumenica incidere, posthabitis etiam tot exemplis tantorum Imperatorum jam adductis, qui spatio duorum & amplius sæculorum putarunt, & fassi sunt, hasce Preces ab indulto Apostolico pendere; non pertinet ad justum rerum æstimatorem; sed ad eos, qui veritate postposita, inanibus nugis gravissimam rem absolvere sibi fas esse arbitrantur.

LXXIII. Scriptores

Superest nunc, ut errorem tollamus,

quo plerique Catholici scriptores Germani contendunt, Imperatorem hasce Preces ante indultum Apostolicum posse dirigere. Isti sunt Henricus Wagnareck commentarii exegetici sacrorum Canonum tom. 1. lib. 3. tit. 5. de præbend. pag. mihi 487. & seq., Engel. pariter lib. 3. tit. 5. de præbend. §. 6. pag. mihi 491., & iis quæ sequuntur Pyringh. eod. lib. 3. tit. 5. de præbend. num. 371. Quippe laudati Doctores postquam probarunt Augustissimos Imperatores niti non posse soli consuetudini antiquæ, & jus Precum tantummodò pendere ex indulto Apostolico: postquam etiam prodiderunt à quadringentis saltem annis Romanos Pontifices consuevisse id indultum singulis Imperatoribus concedere, & Rodulphum I., Carolum IV., Wenceslaum, & cæteros id indultum obtinuisse, necnon post Concordata perseverasse Pontifices id ipsum Imperatoribus indulgere, Concordatis nominatim derogando, uti legitur apud eumdem Wagnareck loco adducto §. Ea tibi, & §. Tertio, vers. Sed in contrarium pag. 492. & §. Quarto in fin. pag. 495., Engel. superius relatum num. 70. 71. & §. sexto, & §. octavo, vers. Cæterum pag. 493., & Pyringh., autumant posse Im-

Catholici refutati, falso putantes Imperatorem posse Preces dirigere ante indultum Apostolicum.

peratores auctoritate Apostolica vigore indulti, concedi soliti, Preces dirigere, utpote habentes indubiam præsumptionem de mente, & voluntate Romani Præsulis, satisque esse indultum Pontificium supervenire, ut videatur Papa ratas habere, & comprobare Preces ante indultum directas. En verba Wagnareckii: *Consuetudo hæc non habet vim ex parte Imperatoris, ut supra diximus, sed ex sola benevolentia Pontificis, qui cùm possit talia privilegia revocare, vel negare Principibus, id non facit. Neque obstat, quod Pontifex dicat, Ferdinandum post factam de persona sua electionem à se confirmatam, significasse desiderium suum obtinendi hoc privilegium: cum enim ab immemoriali tempore Pontifices semper consueverint legitimè electis Romanorum Regibus in Imperatores promovendis tale indultum conferre, habent electi ejusmodi indubiam, certamque præsumptionem de mente, & voluntate, cujus gratiæ & auctoritati, non suæ insistentes, primariis Precibus utuntur ante confirmationem, & indulti hujusmodi emanationem. Electus autem in Imperatorem nomine, & auctoritate Apostolica potestatem nominandi, vigore hujus indulti concedi solitam, statim erga benemeritas personas exercet, ut nihil causa sit, cur Pon-*

tisex ratum non habeat, & ratihabitionem literis, licet posterius datis, ad ipsam electionis diem retrotrahi, & mandato, sive indulto æquiparari velit. Sic vidimus Ferdinandum IV. memoriæ Augustæ in Regem Romanorum electum absque mora Preces primarias cumulatim, aut saltim earum expectativas, nemine improbante, contulisse, antequam confirmationem Roma petere, & accipere potuerit. Hæc Wagnareckius: in cujus sententiam iverunt etiam Pyringhius, & Engelius, supra relati. Sed eorum opinio adversatur apertissime sacris Canonibus: quippe si iidem Doctores fatentur has Preces habere vim ex sola benevolentia Romanorum Pontificum, qui possent non concedere id indultum; nemo sibi persuadere poterit Imperatores habere indubiam mentem Pontificum, ita ut ii certi omninò reddantur, Papam id indultum non negaturum. Præterea quis unquam affirmabit, ex nuda præsumptione posse hunc oriri effectum, ut sine privilegio Apostolico queat laicus Princeps sacris juribus potiri, cogere Electores, & Collatores Beneficiorum Ecclesiasticorum ad eligendum, & conferendum Precistæ; immò & dare mandata de providendo vacatura contra œcumenica Concilia, ac si in

jure definitum non esset, quod conniventia, seu tolerantia Papæ in hac re nihil opitulari potest Principibus laicis, neque inducere dispensationem, aut ratihabitionem ullam, uti supra notavimus numero xxv. Sane si hæc fieri posse dicerentur, utique laicæ potestates facile sibi arrogarent jus in spiritualibus, & Beneficiis Ecclesiasticis, ac si Romani Pontifices negaturi non essent privilegium: quæ res confunderet potestatem laicalem, & Ecclesiasticam, & immane scandalum in universalem Ecclesiam ingereret.

LXXIV. **Clemens XI. contra Imperatoris Preces reclamat.**

At cur tempus terimus in hac re, si circumstantiæ præsentis casus rationes ab adversæ partis scriptoribus adductas subvertunt. Fama est per totam Europam diffusa, Sanctissimum universalis Ecclesiæ Pontificem CLEMENTEM XI. contra hasce Preces Augustissimi Imperatoris reclamare, neque ullo modo pati, ut Ordinariis dirigantur: palam declarasse, eas executionem sortiri minime posse absque indulto Pontificio, cum tamen Augustissimus Imperator, vel saltem ejus Ministri edixerint non indigere Cæsarem indulto Pontificio, sed inniti posse soli consuetudini, de cujus viribus jam disseruimus. Itaque cedit præsumptio veritati, cessat ratihabitio Pontificis; ejus

mens, & voluntas non solum non concurrit, sed est contraria. Quamobrem etiam juxta sensum Wagnareckii, ejusque sequacium, Augustissimus Imperator in hoc statu nullum prorsus reperire poterit cordatum & catholicum virum, qui ejus primarias Preces probare possit: & Ordinarii sunt constituti in positiva mala fide, & sine læsione libertatis Ecclesiasticæ, & incursu pœnarum in septima Synodo inflictarum, nequaquam hasce Preces exequi valent. Precistæ verò, quibus vi Precum Beneficia conferri contigerit, erunt intrusi manu laicali; fructus suos facere; electionibus Canonicis, & Capitulis rite intervenire, & spiritualia administrare non poterunt: quin neque communicare cum aliis, juxta Canonem septimæ Synodi sæpius relatum. Quare quot pericula animarum, quot scandala, & quænam injuria Ecclesiasticis titulis ex prædictis Precibus timeri jure optimo valeant, facile est ex his intelligere.

LXXV. Literæ CLEMENTIS XI. Capitulo Hildesheimensi contra Preces Imperatoris.

Quod Sanctissimus Pontifex CLEMENS XI. hæc, & majora considerans, hasce Preces sine indulto Apostolico è Vaticano irritas pronunciaverit, patet ex ejusdem literis nuper mihi Roma transmissis, & datis ad inclytum Capitulum Hildesheimense, in hunc modum:

Dilectis filiis Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Hildesheimensis.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti filii salutem &c.

A Venerabili fratre Julio Archiepiscopo Rhodiensi, nostro ad Tractum Rheni Nuncio agnovisse vos arbitramur, nullum penes Cæsaream Majestatem residere jus dirigendi Preces primarias, eoque minus sub comminatione pœnarum, quarum vi Precum possint commendati Beneficium primò vacaturum, aut quod eis magis libuerit, in qualibet istarum partium Ecclesia assequi; cùm tamen nihil tam à jure, & à canonicis sanctionibus abhorreat, quàm laicæ potestati fas esse Ecclesiæ Præsules, vel illos, ad quos pertinet, incusso pœnarum timore, ad conferendas taliter a se commendatis Ecclesiasticas Præbendas, aut alia Sacerdotia, compellere. Quod sane assertum jus, nisi forte Apostolica auctoritate sit fultum, ut nullibi locum habere potest, ita peculiari quadam ratione obtinere nequit in Germaniæ partibus ob nota satis Concordata inter felicis recordationis Nicolaum V. Pontificem prædecessorem nostrum, & claræ memoriæ Fridericum III. Imperatorem, inclytamque istam Nationem solemniter inita, in quibus ni-

hil tam accuratè sancitum est, quàm ne libertas electionum, & collationum in mensibus tam assignatis Capitulis, ac Ordinariis Collatoribus, quàm ipsi Pontifici, ejusque successoribus reservatis ullo unquam tempore lædatur; nulla tamen ibi assertorum Imperialium jurium mentione facta, aut ratione habita, cùm alioquin satis manifestum sit electionum, aut collationum libertatem cum primariis Precibus, quæ eam prorsus evertunt, consistere non posse. Quod si idem Fridericus, & qui eum subinde consecuti sunt Imperatores ante tempora claræ item memoriæ Leopoldi nuper defuncti primarias Preces direxerunt, id contigisse constat, quia illi omnes post sui confirmationem à Romano Pontifice obtentam, muniri Apostolico indulto curarunt: quo quidem indulto quoniam destitutus erat idem Leopoldus, factum est, ut primarias Preces, à quibus ipse non abstinuit, admittere, & executioni demandare Episcoporum, ac Præsulum, necnon Capitulorum Germaniæ non exigua, neque contemnenda pars, libertatis hujusmodi memor, & acerrima custos, detrectaverit. Quæ cùm ita sint, dilecti filii, commoveri nullo modo debetis, si quibus forte minacibus mandatis, aliisque nonnullorum opera excogitatis, propositisque ad extorquendum assensum vestrum mediis persentiatis vos urgeri

ad exequendas similes Preces vobis directas, quatenus is, qui per eas commendatur, obtineat, adhærentibus vobis, Canonicatum istius Ecclesiæ, cujus vacatio per obitum quondam Ferdinandi Wilhelmi in mense nobis vigore eorundem Concordatorum reservato, contigisse dignoscitur. Neque hic opus esse credimus vobis commemorare, quam vos deceat talem animum hac occasione præferre, qualem in asserenda canonicarum electionum libertate multi præstantes Ecclesiæ viri, ac Præsules, magna sui nominis laude præbuere; insuper quam præstet in hujusmodi casibus vim potius perpeti, quàm, reclamante conscientia, quidquam veluti sponte admittere, cum certe satius sit Præbendam, vobis invitis, vi occupari (quod tamen metuendum modò non videtur), quàm per electionem, aut collationem, ut cunque nulliter factam, speciem quandam ultronei assensus præbere, cum intrusio commendati, juribus Ecclesiæ vestræ in posterùm minimè obesse queat, non parum autèm ea lædere possit si qua à vobis ejusdem personæ facta videatur electio, à qua non levia scandala orirentur, præsertim verò ob deterrimum exemplum, quod aliis similia admittendi his, & futuris temporibus proponeretur. Accedit periculum, quod vi hujusmodi Precum perperam electus incur-

reret non faciendi fructus suos, ac irritandi omnes actus Capitulares, ac propterea, adveniente casu, ipsius etiam Episcopi electionem, quibus ipse interesset, ac suffragaretur. Sed ubi hæc, non sane prætereunda, omitterentur, quis vestrum non intelligit, electionem, quam commendatus, seu, ut vocant, Precista, de se fieri à vobis postulat, esse hujusmodi, ut facultatis vestræ terminos, quàm longe excedat; nam præterquam sacrorum Canonum, ac etiam Concordatorum dispositioni adversatur, ipsarum quoque Imperialium Precum (si hæ attendi deberent, quæ secluso Apostolico indulto non debent) tenorem prætergreditur; harum enim Precum serie à vobis exquiritur, ut Præbendam primò vacaturam, cujus dispositio ad vos pertineat, ipsi commendato conferatis. Verum cùm ejus, de qua agitur dispositio ob vacationem in mense nobis reservato sequutam ad nos manifeste spectet, palàm est non licere vobis aliena, nostra verò præsertim, attingere, neque huc referri posse Preces, Imperiali Diplomate contentas. Seriò itaque perpendite, quibus finibus potestas vestra coerceatur, ac frustrà interim apud vos contendant, qui ingerere vobis curant lædendi Cæsaris metum, quo adigi non possunt Ecclesiæ viri ad deserendam justitiam, & ad prodendam veritatem. Neque enim

id à vobis postulat, qua est æquitate, charissimus in Christo filius noster Josephus in Romanorum Imperatorem electus; in primis autem cavete ne quid attentetis adversus oblatas vobis Apostolicæ provisionis literas, quas favore dilecti filii Hugonis Francisci de Furstemberg expediri mandavimus, ne videamini velle nostra, & Apostolicæ Sedis jura aggredi: quod quidem vos Ecclesiæ pœnis longe gravioribus redderet obnoxios. Sed aliter prorsus de perspecta nobis pietate vestra sentimus, immò vos curaturos esse confidimus Pontificiam vobis charitatem ampliori adhuc magis filialis vestri studii significatione demereri. Apostolicam interim benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die sexta Martii 1706. *&c.*

LXXVI. Conclusio operis. Poteratne Sanctissimus, & Doctissimus Papa clarius exprimere mentem suam hujuscemodi Precibus contrariam? Poterat elegantius brevi compendio eas Preces sacris Canonibus adversas declarare, pœnas in Precistas inflictas referre, & Capitulorum, atque Ordinariorum, qui Precibus jam dictis sine suo indulto parerent, pericula recitare? Profecto res ista declaratione Pontificia definita est, & sic nulla amplius superest excusatio. Quare arbitror Augustissimum Imperatorem, Principem alioquin verè catholicum, & fidelem Ecclesiæ Romanæ filium, ea qua fulget christiana pietate, & Religionis nostræ zelo, id indultum à Sanctissimo CLEMENTE XI. postulaturum, seseque in actu confirmationis suæ electionis devoturum Ecclesiæ Romanæ Advocatum, quemadmodum tot præclarissimos Cæsares majores, & prædecessores ejus fecisse narravimus.

